
VITA P. IACOBI LAYNIS SECUNDI SOCIETATIS IESU GENERALIS ALPHONSI ITEM...

Pedro Ribadeneira, Johann Hogenberg, Andreas Schott






BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VITA P. IACOBI LAYNIS

Secundi Societatis IESV Generalis

ALPHONSI item SALmeronis

Vnius in primis decem Socijs

A

P. RIBADENEIRA

Hispanicè scripta; Latinè verò ab

AND. SCHOTTO ANTVERP.

vtroq; eiusdem Societatis Sacerdote.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Arnoldi Mylij Birckmanni.

ANNO CIↃ. IↃC. IV.

Cum gratia & priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

REVERENDISSIMO

D. MICHAELI DENNIO

TORNACI NERVIORVM EPISCOPO

ANDREAS SCHOTTVS *Societatis* IESV *Sacerdos.*



AVDARI ſacræ literæ præcipiunt, Præſul ampliſſime, parentes maioresq́; noſtros qui bene beatcq́; degentes, vita piè innocenterq́; acta, ad æternam illam beatitudinem aſpirarunt. Quod quidem ſalubre conſilium tantum abeſt vt olim reprehenderint vitæ innocentia clari, vt etiam religiosè ſibi ſeruandum exiſtimarint, qui vel apud Græcos aut Romanos pietate iuxta àc doctrina viguerunt. In his

principem vt dignitate, ſic & meritis locum obtinet B. Gregorius Pont. Max qui Dialogorum libro S. Benedicti familiæ longe in Occidente antiquiſſimæ, auctoris dicta factaque memoriæ mandanda putauit. Quam diſertè ac pie magnum illud Eccleſiæ columen B. Hieronymus aſcetarum Aegypti prima lumina Paulum, Hilarioné, & Malchum litteris conſignauit? Huius etiam ſacris in ſtudijs magiſter Gregorius Nazianzi Epiſc. cui Theologi cognomentum, poſt B. Ioannem Apoſtolum adhæſit, cótubernalem ſuum Beatum Baſilium, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum vita functum pro funere laudauit: fratrem etiam ipſius Gregorium Nyſſæ Præſulem renunciatum commendauit. Ambroſius fratrem quoque ſuum Satyrum; Valentinianum ac Theodoſium

Augg.

Augg vt de re Christiana benemeritos, vita functos prædicare non erubuit. Ceteros, sunt enim propè innumerabiles, prætereo. Talium tantorumq; exemplo pridem incitatus, Superiorumq; iussu adductus P. Ribadeneira, trium, quorum vsus esset domestica familiaritate Præpositorum Generalium Societatis IESV, vitas posteritatis memoriæ, sed Hispanicè, commẽdauit. Verum ne, amplis illis quidem, at Europæ habita ratione angustis nimis terræ finibus, præclarè gesta illa dictaque dumtaxat legerentur, operæpretium facturus videbar, si Latino sermone longè lateque diffuso exscriberem (præsertim cum Iberiam annis aliquot lustrarim) VITAM P. Iacobi Laynis, proximi à B. Ignatio Loiola, Societatis parente, Præpositi Generalis, vt & nuper P. Franciscum

ſcum Borgiam Romæ, Antuerpię & Mogũtię diuulgaram. Huic & Alphonſum Salmeroné, olim à nobis in Hiſpania cũ Operibus editũ, vt vnum in primis decem Socijs, fidum quoque Laynis ſtudiorum, peregrinationumq́; comitem adiunximus. Quoties enim ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ in mentẽ venit (venit autem frequenter) toties animo meo vtriuſque Theologi ſumma dicendi facundia obuerſatur. Orante enim firmis lateribus, ſententiamq́ue proferente Layne, Patrum conuentus, flos inquam ingeniorum Europæ, ora obuertebant, & à dicentis ore apta veluti cathena pendebant. Patronus itaque, ſi lucem hic labor noſter aſpiceret, more, inſtitutoq́ue maiorum quærendus fuit, qui ab improborum calumnijs vindicaret, refrenaretq́ue audacem eorum

rum petulantiam, qui hac tempestate Religionis expertes, & in Fide naufragi, in Religiosos homines, eorumque auctores incurrere & acumen styli figere gloriosum nefariè ducunt. Vnus, Præsul amplissime, occurristi, qui hæc qualiacunque tueri & possis & velis. Possis quidem, stemmatis Enniorum nobilitate clarus, decursis sacrorum honorum gradibus, ad Episcopi, hoc est, summi Sacerdotij dignitatem (qua nulla, teste Chrysostomo, in terris maior) sis nec opinato, & renitens euectus: Velis autem, quod olim pro singulari tuo in Societatem non amore modo, verum etiam pietate, trium primorum Generalium Præpositorum vitas ex eodem ipso P. Ribadeneira, Laynis, ac Borgiæ, B. verò Ignatij ex Maffeio Gallicæ genti, quo fructus esset v-

berior, olim transcripseris. Accipe igitur lubens munusculum nõ tam mole, quam animo metiendum, vt tuo in Societatem studio, ac meritis debitum consecratumque. Quod si ab æquo rerum æstimatore impetrauero, abunde magnum sane laboris pretium tulisse videar.

Vale.

APPRO-



APPROBATIO.

Ego Oliuerius Manareus, Visitator Societatis IESV *in prouincia Belgica facultatē concedo, ut Vitæ P. Iacobi Laynis Præpositi Generalis à B. Ignatio proximi, & P. Francisci Borgiæ tertij Generalis: item Alphonsi Salmeronis, unius in primis decem Socijs, Latinè à P. Andrea Schotto Antuerpiano, Societatis eiusdē Presbytero conscriptæ, & eiusdem Societatis grauium doctorumq; hominum iudicio approbatæ, typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedimus Insulis Flandrorum 25. Iunij 1603.*

Oliuerius Manareus.

INDEX CAPI-TVM.

LIBRO PRIMO.

Car-

LIBRO SECVNDO.

Missio-

LIBRO TERTIO.

E Gal-

LIBRO

CAPITVM.

LIBRO QVARTO.

De vita, & obitu Alphonsi Salmeronis, *Toletani, vnius in decem primis* IGNATII *Socijs & Layni coniunctissimi.*

DE



DE VITA IACOBI LAYNIS

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Secundi,

LIBER PRIMVS.

ANDREA SCHOTTO Societatis eiusdem interprete.

De natalibus, primisq́; adolescentiæ studijs.

CAPVT I.



ACOBI LAYNIS, Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Loiola secundi, vitam scribere iussus, à natalibus exordiar. Natus Almazani, agri Segontini oppido, regni Castellæ non incelebri: anno à Christo nato CIↃ.IↃ.XII. parentibus

honestis, reque bene lauta, Ioanne Layne, & Isabella Gomezia Legionensi. Horum eximiam in Deum pietatem Petrus Faber vnus in primis decem Ignatij socijs, cum primo ex Hispania anno 1542. reuertit, literis ad Laynem, prædicat, gratulaturq; tales illum parentes nactum, quos sibi in pietatis studio, animorumq; salute paranda, dicto audientes comperisset. Mater recens à partu Segontiam versus animi gratia profecta, torrentem, qui imbribus nimium quantum creuerat, ipsa traiecit: iumentum verò, quo nutrix infantem gestans vehebatur, lapsu concidit: infans secundo flumine ferebatur. Auunculus itineris comes, equo calcaribus adacto, fascijs puerum natantem, vndis Moysis exemplo extractum, matri penè exanimatæ restituit: cui non minus iucundum accidit, conseruatum, quam natum filium: quod salutis certa lætitia sit; nascendi incerta conditio. Maiore itaque studio ad virtutem informandum parens curauit. Vt primum è

Exod 2.

pueris

pueris excessit, ijs litteris tinctus, quibus ætas puerilis ad humanitatē informari solet, Segontiæ & Soriæ, quod in ipsis ferè Numantiæ ruinis situm oppidum, missus dehinc à parentibus Complutum est, Gymnasiū optimis Philosophis semper abundans. Hic cito antecellere ceteris ingenij gloria contigit. erat autem in adolescente præter docilitatem ingenij, summa etiam oris, morumque suauitas, vt non solum celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam ab æqualibus quamuis superior amaretur. Decurso iam Philosophiæ spatio, laureaque insigniri de more cum vellet, nihil egit, dixitve superbius, neque candidatus suffragia, vt fit, studiosè consectando captabat, vt primum locum, vigilijs suis debitū, (qui summæ illic laudi ducitur) obtineret. Illud tantum: arbitros modestè rogare, ex ęquo, & bono, nullo amore, aut odio adducti rem disceptent. Modestię & illud argumentum; cum in frequenti tum Academię cōuentu, Latine perorandum esset; ac-

honestis, réque bene lauta, Ioanne Layne, & Isabella Gomezia Legionensi. Horum eximiam in Deum pietatem Petrus Faber vnus in primis decem Ignatij socijs, cum primo ex Hispania anno 1542. reuertit, literis ad Laynem, prædicat, gratulaturq́; tales illum parentes nactum, quos sibi in pietatis studio, animorumq́; salute paranda, dicto audientes comperisset. Mater recens à partu Segontiam versus animi gratia profecta, torrentem, qui imbribus nimium quantum creuerat, ipsa traiecit: iumentum verò, quo nutrix infantem gestans vehebatur, lapsu concidit: infans secundo flumine ferebatur. Auunculus itineris comes, equo calcaribus adacto, fascijs puerum natantem, vndis Moysis exemplo extractum, matri penè exanimatæ restituit: cui non minus iucundum accidit, conseruatum, quam natum filium: quod salutis certa lætitia sit; nascendi incerta conditio. Maiore itaque studio ad virtutem informandum parens curauit. Vt primum è

Exod 2.

pueris

pueris excessit, ijs litteris tinctus, quibus ætas puerilis ad humanitatẽ informari solet, Segontiæ & Soriæ, quod in ipsis ferè Numantiæ ruinis situm oppidum, missus dehinc à parentibus Complutum est, Gymnasiũ optimis Philosophis semper abundans. Hic cito antecellere ceteris ingenij gloria contigit. erat autem in adolescente præter docilitatem ingenij, summa etiam oris, morumque suauitas, vt non solum celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam ab æqualibus quamuis superior amaretur. Decurso iam Philosophiæ spatio, laureaque insigniri de more cum vellet, nihil egit, dixitve superbius, neque candidatus suffragia, vt fit, studiosè consectando captabat, vt primum locum, vigilijs suis debitũ, (qui summæ illic laudi ducitur) obtineret. Illud tantum: arbitros modestè rogare, ex ęquo, & bono, nullo amore, aut odio adducti rem discepptent. Modestię & illud argumentum; cum in frequenti tum Academię cõuentu, Latine perorandum esset; ac-

accessissetque, qui iuuare in partem & vellet & posset, abnuit: *Nolo*, inquit, *alienis me plumis corniculæ in morem venditare, conditione igitur tua non vtar, ne alieno labore disertus videar, fucumq; faciam.* In egenos iam tũ adeo beneficus extitit, vt plus inopiæ aliorum subleuandæ, quam victui quotidiano, expensum tulisse, rationibus subductis, compertum sit. Compluto Lutetiam Parisiorum, quæ tum Academia liberalissimis studijs, eruditissimisque hominibus affluebat, cum discendi gratia, tum Ignatij videndi, cuius adhuc in Carpetanis fama vigebat, profectus, vrbemque copiosam, & celebrem ingressus, illum ipsum, non dubia Dei voluntate obuiam habuit, cuius cõsilijs studia, remq; familiarem moderabatur. Vsu verò & familiaritate adeò sibi illum Ignatius obstrinxit, vt pijs exercitationibus informandum se Iacobus, vt erat ad pietatem propensus, libens eidem tradiderit: quo de vitæ studiorumque optimo

genere

genere deligendo, & salute quærenda maturè constitueret. Triduum in hoc secessu cibis abstinuit: quindecim verò diebus pane, & aqua sine condimento contentus, in cœlestium rerum meditatione acquieuit. Oratione adhæc, lachrymis, cilicio, atque flagellis vsus, Deum venerans precabatur, vti, quæ diceret, ageretque, ad suam plurimorumque salutẽ vellet pertinere. Secundus itaque à Fabro Ignatij se societati addixit. Peripateticæ Philosophiæ studijs, hortante illo, ex Aristotelis fontibus reuocatis, ad diuinam disciplinarum reginam, animum appulit. Hic assiduè disputando, vt erat ingenio acer, memoriaque singulari, facilè tum ostendit, fore vt magno Ecclesiæ vsui & ornamento esset.

In Italiam profectus, quæ gesserit.

CAPVT II.

EVocarat Ignatius Socios Lutetia Venetias anno 1536. vt religione obstricti in Palæstinam, ad CHRISTI vestigia Hierosolymis

mis lustranda, traijcerent. LAYNES, studijs iam pietateque animum abundè excoluerat, imbecilla quamuis valetudine vteretur, alacer tamen in viam se dedit. Ceteris animum addidit, et si fluuium transmittere oporteret, pusillo licet corpore, vadis prius tentatis, Socios humeris gestare. Cilicio ipse indutus, scriptisque libellis onustus, inops à pecunia, & vestibus, per Galliam pedibus, Germaniamque, per niues item, & imbres iter facere. In Nosocomio Veneto, fessus de via conquieuit: ægrotos colloquijs consolatus, & obsequio iuuans. Insequenti anno quadragenarijs ieiunijs Romam pergit; vt Pontifice benedicente felix iter Hierosolymitanum, faustumque esset: ieiunijs, pedestrique itinere fractus, tantisque cæli pluuijs, vt genu tenus sæpè aquis inambularet: emendicato etiam tenui pane victitabat: in Xenodochijs immundiores lectos summa animi lætitia sibi ambiebat. Ad vrbem ventum cum esset, nudis pedibus ingre-

di.

di placuit. Mox Paulo III. Pontifice audiente de rebus Theologicis acutè disseruit, nodosque dissoluit. Miratus Pontifex hominis acumen, bene, Hierosolymam profecturo, precatur. Venetias itaque reuertit, festoque Ioannis Baptistæ die sacris antea initiatus, primum rem diuinam fecit. Hinc Vicentiam (oppidũ id ditionis Venetæ mediterraneum) accessit. Tugurium extra oppidum, portis fenestrisque carens, quadraginta dies cum Ignatio, & Fabro habuit. Humi cubabant, fame pene enecti: nec enim panis satis eleemosyna alendis tribus suppeditabat. Ex incommodis in morbum incidit LAYNES à quo mox recreatus, in foro Vicentino Latinè, (nondum enim Italicè poterat) cõcionabatur: post ostiatim stipem quærebat, nec impetrabat. Miranti in oppido non infreqũeti & pio, panem illi defuisse, qui concionaretur, boui enim trituranti os obturandum non esse: respondit LAYNES: *Sic placitum Deo: suas interdum, vt*

con-

constantiam probet, affligi sinit. Interea Hierosolymitana profectio, exorto iam bello Turcico impediebatur: Romam itaq; cum ijsdem Socijs reuertit, & Pontificis iussu de superiore loco, in Gymnasio, quod Sapientiæ, hodieque appellant, Scholasticę Theologiæ, doctoris personam sustinuit, & acutè de abditis difficillimisq; controuersijs disseruit: in Saluatoris item æde sacra frequenter concionatus. Anno, qui insecutus est 1538. quadragintą iterum dierum ieiunio Romæ Socij de constituenda, confirmandaque Societate conuentum agebant. Hic ceteris vnus præstitit, plusque re, atq; consilio, magno Societatis cõmodo, iuuit LAYNES. Dimisso cœtu, eiusdem Pontificis auctoritate Cardinali S. Angeli Parmam, Placentiamque cum imperio proficiscenti, quæ tum vrbes sedis erant Apostolicæ, LAYNES, & Faber, insequenti anno comites dati. & hic cum inopia luctatur: nudus egésque medijs hyemis frigoribus agebat: vestem qua tegitur recusauit:

iussu tãdem Ignatij in eleemosynam accepit. Mouit ea inopia permultos, ad pietatẽq; incitauit: vt enim sordibus, & auaritia nihil ingratius; sic nihil cõtra amabilius est eorũ hominũ exemplis, qui bonorum, honorumq; despicientia excellũt. Catechismum pueros per compita, & rudes docebat: concionabatur assidue. Ignatij exercitationibus centum amplius informauit: instauratus iam tum, qui in desuetudinem abierat, frequens sacramentorum vsus, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Hic mos quia insolens ea ætate, sed nascentis Ecclesiæ proprius fuit, sermonem multis dedit secius de illo, & sentiendi, & loquendi: verum effectus, mutata plurimorum in melius vita, eorum qui contra sentirent, sententiam facile refellebat. Sacerdotum quoque, & Parochorum mores LAYNIS opera exculti, vt cœlo delapsum hominẽ, qui nouam reip. formam induxisset, Parmenses læti, & Placentini (vtrobique enim par fructus extitit) iactarent. Complures exemplo incitati, Societati se

ſponte adiunxerunt: In his Hieronymus Domenechus, Valẽtinus, patriæ Canonicus, vbi & Collegium Societati cõſtituit. Is Roma Lutetiam verſus Parma iter faciens, in LAYNEM, Fabrumq́ue inciderat, pijſq́ue exercitationibus hanc illi mẽtem Deus dederat, vt in Societate ſumma vitæ innocentia ad extremum vſque ſpiritum ageret. Adſcriptos & hos ex Annalibus comperi: Paulum Achillem, Elpidium Vguletum, Baptiſtam Violam, Martinum, & Ioannem Pezanos, Syluestrum Lambinum, Ioannẽ Franciſcum Placentinum; Franciſcum & Benedictũ Palmios fratres. Quorum hoc ad medicorum deſperationem ægrotante, accerſitus LAYNES ſacris in conclaui eius operatus, bene de ſalute ſperare iuſſit: ſaluum enim & incolumem ab eo morbo, Dei benignitate, breui, vt euenit, emerſurum. Mox valens, confirmatuſq́; Societati poſt volens ſe addixit.

Romæ, Venetijs, finitimisq́; in locis quæ geſſerit. CAP. III.

His

HIs pie occupato LAYNE, ceterisq; socijs, Romā odor bonus peruenit: eoq; libentius Paulus III. Pont. Societatis institutum cōfirmauit: actumq; de Preposito deligendo, qui cōmuni rei præfectus ius diceret; ceteri dicto audiētes parerēt. Hanc enim optimam semper administrandi formam visam. Accitis itaque Romam Socijs anno 1541. LAYNES venit, primusque hic sociorum conuentus fuit. Consentiētibus in Ignatium vniuersis, ille defugere, onusq; detrectare. LAYNES summo impetu indignabūdus rogare, vrgere, impellere. *Ecquid dubitas Ignati? vel onus à Deo impositum libens suscipe; vel per me Societas recens inita dissiliat.* Post tamen familiaribus retulit, etsi quod nollet, societas diuisa fuisset, sibi tamen fixum semper, statumque in eo instituto manendi, fuisse. Frater ei Marci nomine fuit, præstanti adolescens corporis forma, piusque, & fratris iuxta ac suæ salutis perstudiosus. Inaudierat forte, quod res erat, 1541.

exorta in magno Ecclesię damno, Lutheranam hæresim, & ab inferis deprauatas opiniones exiſtere, quibus multæ Germaniæ vrbes peſſum irēt. Ratus itaque eo in numero Iacobum fratrem eſſe, quem nouum vitæ genus inijſſe acceperat, quotidie ſacris aſtans, ea gratia fidei Symbolum, preceſq́ue recitare ſolitus, abſenti ſalutem fratri precabatur. Neque hic pietas ſubſtitit: in viam confeſtim Romam verſus ſe dedit, vt ſi opus foret, errantem ad meliorem mentem, qua minis, qua precibus, traduceret. Verum captum egreſſus, captus ipſe eſt. Vrbem enim ingreſſus, fratremq́ue complexus, pietatis hunc fructum tulit, vt pijs à Iacobo exercitationibus eruditus Deo ſeſe ſponte ſociorum in numero conſecrarit: moxq́; in noſocomio operā aſſidue dedit. Poſt non diu Quinctili menſe vertentis anni, morbo conflictatus, vita, immortalitatis ſpe plenus deceſſit. A funere ſtatim LAYNI ſimulacrū illius oblatum: iubet paren-

parentes, de ſalute ſua ſecuros conſoletur. Secum enim agi præclare. Primus hic, ex quo Societas ſedi Apoſtolicæ probata, fato functus eſt. Alios quoque Romæ Chriſto LAYNES lucrifecit: in his Ioannem Polancum Burgenſem, iuuenem eruditum: excellenti item ingenio adoleſcentem Andream Fruſium Gallum. Hoc ipſo tempore Margarita Auſtria Caroli Cæſaris filia, Octauij Farneſij Camerini primum, poſt Parmæ ac Placentiæ Ducis vxor, ſalutandi parentis cauſa, Lucam Hetruriæ profecta, LAYNEM, qui à concionibus & arcanis eſſet, adhibuit. Anno inſequenti Venetias Pontificis iuſſu rediјt, vt ſacra quædam officia, flagitante Republ. florentiſſima procuraret. Re è ſentẽtia geſta, nihil eorum prætermiſit LAYNES docendo, & concionando, quæ ad communem vtilitatẽ pertinere exiſtimaret. Hæretici iam tum Venetijs clam virus diſſeminabant, & conuenticula, vt ſolent, agebant. LAYNES nihil cunctandum ratus, fraudem detexit

in religione, ſenatui ſuaſit, daret operam, ne quid Reſp. detrimēti caperet. Integros ille confirmauit; deluſos verò erudiendo in viam reuocauit. Ioannis Euangelium pro concione explanauit, verſabatur aſſiduè in Ioannis & Pauli Xenodochio: inde in ædes migrare coactus nobilis in ea Republ. viri, & pij Andreæ Lipomanni, Præfecti Eccleſiæ ſanctę Trinitatis. LAYNIS vſu, pietate, & doctrina, incredibile eſt quo amore ſocietatem ſit complexus, vt & Patauij, præfecturam Eccleſiæ beatæ Magdalenæ, alendis ſocijs ſponte attribuerit. Primum id in Italia Collegium Societas nacta; anno proximo ædificari cœptum, miſſuſque eo ab Ignatio LAYNES. Hic Patauinam Academiam ſtudijs, ingenijſque florentem, & concionibus illuſtrauit, & ad pietatem comparatis exemplis erudiuit. Hinc excurſum Vicentiam, Veronam, & Brixiam: quò primus ſocietatis nomen LAYNES intulit. Brixiæ quidem alterius anni quadragenario ieiunio quotidie

tidie de verbo publice disseruit. Proximo verò anno Basæ concionatus, qui vicus diei itinere Patauio, in Germaniam versus abest: cuius gentis commercio incolæ plerique corrupti, prauis sese, & à religione maiorum alienis opinionibus, errorumque laqueis, induerant. LAYNES, vigilantis in morem pastoris aduigilare, pios conseruare, falsos verò, atque deceptos ad sanam mentem reuocare. Qua re præclare gesta Romam iussus reuertit.

A Pontifice in Tridentinam Synodum Theologi titulo mittitur.

CAP. IV.

HOc ipso tempore Oecumenica Tridentũ indicta à Paulo Pont. Max. Synodus, quo sanctissimorum, doctissimorumq; hominum flos, magno orbis terræ commodo conuenit, vt de fidei controuersijs cõstituerent, omnesque retrosectas, nouitiamque Lutheranam iugularent: mores denique corrputos ad integritatem reuocarent. Missus eodem à Paulo III.

Theologorum in numero LAYNES est, quartum & trigesimum ætatis annum agens, & Alphonsus Salmeron, qui trigesimum vix excesserat. His socijs negotiũ profecturis, Ignatius Præpositus Generalis pro suo iure dederat, vt pauperibus, ægrotisque in nosocomio Tridenti operam prius nauarent, quam sententiam publicè rogati dicerent: rudes etiam, puerosq; Catechesi imbuerent. Viderat acute vir sanctissimus, hinc esse rei præclare gerendæ ducenda primordia. Gnauiter illi aliorum inopię subseruiunt, eleemosyna vndiq; corrogata, famam depellunt, frigusque, vt anni tempus erat à nudis defendunt. Episcopis item, quorũ magnus ibi numerus erat, re consilioque, & disputando præsto erant: vt de Societatis instituto, plerisque ignoto, melius iam tum sentire, & loqui inciperent. Quo factum est, vt in sua quisque Diœcesi socios optaret ministros, laborumq; consortes: quartus vix mẽsis abierat disseminari iam secunda de societate existimatio in

omnes

omnes Europæ prouincias cœpit. Antonius enim Araozius, qui paucis tum socijs in Hispania præerat, Ignatio scripsit, plus emolumenti societatis nomini quatuor intra menses in Hispania duos illos Tridenti socios attulisse, quam annis aliquot alij potuissent. Sententiam verò de more rogati, in ijs, qui sub Paulo III. acti sunt, conuentibus, (de ceteris enim sub Iulio III. & Pio IV Pontificibus Maxim. suo loco demonstrabo) ita inter socios conuenerat, vt licet natu minor Salmeron esset, prior tamen sententiam diceret, posterior LAYNES. Id, vt est, eo difficilius visum, quod ab alijs optima quæque iam occupata ac præcepta essent, nec iterare eadem pretium operæ videretur, nisi si in aliorum, qui antea dixissent, sententiam pedibus ire vellet: plerumque tamen ea in medium attulit LAYNES, quæ noua, & ad eum diem inaudita iudicarentur. Per magni sane illius iudicium factum, vt rationum momenta Patrum aliorum numerari, illius

verò ponderari ſolerent: erat enim in diſputando acer, in dicendo vehemens, in iudicando verò ſubtilis, & conſtans: quibus artibus fiebat, vt audientium animos quo vellet raperet, ac quamcunque in partem liberet, facile traduceret, vtilis adeo hic illius opera exſtitit, in colligendis deprauatis hæreticorum, de Sacramentis Eccleſiæ opinionibus; vt cum Ignatius euocandum Tridento ad res gerendas curaſſet, non impetrarit. Cardinalis enim ſancti Crucis, vnus è tribus Concilij Legatis, qui poſtea Marcellus II. Pontifex Maximus creatus eſt, litteris ad Ignatium datis, rogat humaniter, ne à tam ſalubri opera LAYNEM auocet: publica enim commoda priuatis anteponenda. Ea tempeſtate Carolus Cæſar è Germania, deuictis fidei maiorum hoſtibus, qui nouarum rerum, opinionumque ſtudio ducti arma contra tulerant, in Italiam legiones remiſerat: in his plerique milites fame itinerumque incommodis pæne enecti, ſociorum opera

opera diligentiaque refecti in nosocomijs, ac recreati.

Florentiæ, Perusiæ, Venetijs, & in Sicilia gesta.

CAP. V.

Concilium Tridenti primum coactum pestilentis cœli metu Bononiam translatum, septimo & quadragesimo salutis anno supra millesimum, & quingentesimum: prorogatum rursus in annos aliquot. 1547. Interea Florentiam LAYNES Ignatij iussu contendit, in sancti Pauli Xenodochium, eleemosynis gratuitis, quæ afferrentur, & precario victitans. Concionabatur in æde maxima magnis æstiui temporis caloribus: octo item continuis diebus Ioannis Baptistæ, reipublicę tutelaris, tanto incolarum concursu, ijs etiam, quibus res geruntur diebus, vt octena millia conuenisse indies ferant. Hic de regno Dei copiosè disseruit, pomeridianis etiam scholis Canonicam Ioãnis Epistolam explanabat,

præmium, quod alijs Ecclesiasticis dari solitum erat, oblatum constanter repudiauit: orans pauperibus distribuerent: gratis enim dare se, quæ gratis accepisset; aliorum tamen factum, qui mercedem caperent à se minime reprehendi. Perusiam inde discessit, & in nosocomium de more diuertit: hic de sermone Domini in monte habito, pro concione disseruit. Eugubium illinc accessit Episcopus, idemque Cardinalis sancti Crucis Marcellus: vtiliter sacra procurante, communemque rem constituente LAYNE: qui etiam velatarum Virginum cœtum ad pristinam disciplinam reuocauit: inde Politiano Monte, Florentiam remigrauit, hinc Venetias rursus ab Ignatio
1548. anno 1548. reuerti iussus. Senatus enim Venetus annuos reditus Præfecturæ sanctæ Magdalenæ, (quam Pontifex supplice Andreæ Lipomani libello, alendis ibi socijs attribuerat) dare recusabat. Tandem LAYNIS prudentia, & Ignatij ad DEVM precibus factum, vt concesserint

cesserint Veneti. Memoria teneo, cum Ribadeneyra, qui è societate comes illi tũc Venetijs additus, ita narraret, auditum à se ex ore Vincentij Riccij, qui à secretis Reip erat. *Neq; sanguine,* inquit, *mihi iuncti estis, neque necessitudinis vinculo aut officiis me deuinctum vobis socij habetis: illud tantum: hanc mihi mentem dari à Deo sentio, vt nihil mihi antiquius sit, quam vt ceteris omnibus commodis negotium hoc vestrum, vt iustissimum anteponam.* His rebus ex sententia gestis LAYNEM Pontifex iterum in Siciliam, Montem regium, rogatu Farnesij Cardinalis, cuius in fide, tutelaq; oppidum illud erat, mittit. De via itaque Neapoli ad Petrum Toletanum, principesq; viros in templo verba faciens, ita commouit; vt de socijs eo euocandis, suaq; in vrbe alendis, consilium cœperint. Ignatius munus illi visitãdi Siciliensem sociorum Prouinciam demandarat. Obijt vero strenue. Messanæ enim institutum iam Collegium: anno vero, qui insecutus est, etiam Panormi

normi LAYNIS opera inchoatum: cuius doctrina cum pietate coniuncta vrbis vtriusque incolæ vehementer delectati. Inueterauerat pridem Monteregij odium, dissociatis Canonicorum animis primariæ sedis, &, qui in eodem choro, rem diuinam faciunt Benedictinorum Sodalium. Tentatum à summis viris sæpe numero, Cardinalis etiam autoritate interposita, de concordia inter sacros homines, positis odijs, reuocãda; sed frustra tentatum, neutris de iure suo concedentibus. Hic LAYNES, eã est, Deo bene iuuante, viam ingressus, vt odij, secessionisq; causis inuestigatis, eas sustulerit, animosq; conciliarit, latis concordiæ legibus quas Farnesius in sacrario, spectantium oculis posteritatisq; memoriæ appendi, religioseq; seruari iussit. Cœnobium & hic sacratarum Deo Virginum, collapsa iam antiqua disciplina, rursum instaurauit, melius vt audire inciperent. Suadet enim vt in commune omnes sua conferrent, vt initio nascentis Ecclesiæ, & in religio-

ligiosorum hodie familijs solet, chorum simul frequentarent: silentium statis horis tenerent, claustrisque, vt antea, includerentur: denique vt sacramentorum vsum, quod præsens est vitiorum remedium, repeterent. Obtinuit, licet ægre, quod ad eam diem nemo. Eam enim sanctitatis LAYNIS opinionem Virgines imbiberant, quod sacris operantis capiti columbam insidere visam, liquido pleræq; affirmarent: Spiritus diuini dona significari pie interpretatæ. Cardinalis quoque res, familiamq; modeste constituit, legesq; dictauit, quas & accurrate seruari Princeps ille iussit: De pauperibus alendis in Sicilia aere suo, de virginibus in matrimonio collocandis, de pupillis educandis, deq; omni adeo Oppidi, & Coenobij administratione egit.

In Africani belli expeditionem proficiscitur.

CAP. VI.

ANnus agebatur illius seculi quinquagesimus, cum in 1550.


Mauri-

Mauritaniæ eam oram, quæ Africa minor olim eſt habita, traiecit, ſuſcepta iam à Cæſarianis expeditione in eius Prouinciæ vrbem, quam Africam nonnulli appellant, Aphrodiſij vero nomine, (Fani cognomentum Ptolemæus attribuit) vocat Chriſtophorus Stella, qui Africanum illud bellum litteris mandauit. Mauris incolis Mahadian dictam hodie putant. Ceterum Dragutius, nobilis pirata, & prædo myoparonibus infeſtum mare habens, ex inſidijs eam vrbem ceperat, Ceco regulo armis pulſo. Hinc regnorum Siciliæ, & Neapolis oram maritimã incurſionibus vexare. Non tulit Carolus Cæſar, qui à prædonibus purgare mare, quod vt in medias infuſum terras mediterraneum vulgo nominant, cupiebat: ratus loco illo, latrocinijs & excurſionibus idoneo, pellendum Dragutium: claſſe itaque exercituq; comparato bellum adornat. Ei bello, qui terreſtri itinere copijs præeſſet, dux creatus Ioannes Vega, qui Siciliam per id tempus cum Proregis imperio tenebat: claſsi vero

triremi-

triremibus, socijsq́; naualibus præfectus Andreas Auria est. Vega, qua erat pietate, existimans quod res erat, victoriam nõ tam armis, quam Dei ope parari, exercitumq́; in officio continendum, ne quid in Deum committeret; LAYNEM deligit, qui & animorum, & ægrotorum curam gereret, & milites assidue hortando in officio contineret. Sic fore vt parentiores, & ad profligandos hostes aptiores milites haberet: nec fefellit opinio, vt euentus, victoriaq́; ostendit. In Africam classe appulsa, exscensioneq́; facta, timidis animos addens crucem dextra gestans LAYNES Deo fidere iubet. Christianæ ad hæc militiæ, & barbaræ discrimen ostendens, huiusmodi orationem habuit.

Meminisse, milites, vos decet, quantum nostra ab hostilibus, arma differãt. Illi prædæ, inanisq́; gloriæ studio, & ampliandi Imperij cupiditate dimicant, nos vero vnius Christi tantum amore, arma induimus, periculis caput obijcere parati, vitam etiam, sanguinemq́; profundere pro aris



pro aris ac focis volumus: & quanquam viribus manuq; res magnæ geruntur: non his tamen, sed Dei vnius præsidio, à quo victoria dimanat, fidendum censeo. Pugnandum quidem, non inficior, & vero strenue: viuendum tamen in castris pie, ac Christianè. Nefas alioqui fuerit, armis hostem lacessere, peccatis vero cum Deo bellum gerere. Recte itaque factis, & pietate cum fortitudine coniuncta propitium Deum reddamus. Quare non tam præda vobis, spolia, & manubiæ, vt Barbaræ illæ gentes solent, exoptandæ; quam Dei gloria ante oculos ponenda: vt Reipub. pax, communisq; ciuium salus armis nostris quæsita esse videatur.

His dictis in Nosocomio ægrotorum ministerio, quorum magna in diuturna obsidione vis erat, se comparauit. His cibum, potumque, pharmaca etiam manu porrigere: vngere ipse corpora, venam arteriamque tangere, & præcordia palpando tentare, confitentibus aures libenter dare.

dare, languentes consolari, animam agentibus præsto esse, terræ denique vita functos mandare; nullum vt pietatis officium, quo vocaretur prætermitteret. Cauit diligenter ne, vt in tam confusa hominum multitudine solet, mortuorum vestes, bonaque furto superstites auerterent. Ditiores quoque, qui in tentorijs, & sub pellibus ægri iacerent, non contempsit, si qui forte operam eius flagitarent: vt si corporum medicina parata esset, animo principi hominis parti remedium ne deesset. Centuriones, & Tribunos militares, qui arcana apud illum confitendo deponerent, concordi vt in castris animo agerent prouidit: Sublatis ea gratia (qua nulla maior in aulis pestis) delatorum, curiosorumque calumnijs. Vrbem iam oppugnaturis, peccatorum veniam, Iubileum hodie appellant, à Iulio III. Pont. Maxim. missum LAYNES in castris promulgat: quidque facto opus sit, vt rite ante actæ vitæ errata expien-

expientur, denunciat, siue victoria parta, siue morte obita, si quid accideret humanitus, æterna illa beatitudine potiri velint. Verbis itaq; animos timidis addere, languentes immortalitatis spe excitare, omnes deniq; cõfirmare. Mox re feliciter à Cæsarianis gesta, vrbs expugnata, Mauris erepta, in Christianorũ ius, ditionemq́; concessit, ante diem IV. Id. Septem.
1550. anni 1550. In qua quidem expeditione ad LAYNEM quod attinet, illud singulari Dei beneficio tribuendum; reliquis ad vnum omnibus, qui ægrotis operam darent, in morbum lapsis, vnum illum cum socio sanum valentemq́; perpetuo ministrasse. Postridie vero Idus Septemb. qui dies S. Crucis exaltationi sacer est, Fanum vrbis, Mesquitam Mauri vocant, nostro ritu lustratum, & Ioanni Baptistæ consecratum: sacris operante LAYNE, & è suggestu concionãte; Victoriam is vt vni Deo, non viribus humanis acceptam referãt, hortatur. Militibus qui vrbis præsidio manebant, vt vitam Christiano milite dignam agant, ex-
emploq́;

emploq́; ſuo Mauros ad Chriſti fidem pelliciant, ſuadet. Quibus rebus factum, vt omnibus carus acceptuśque, tanquã cœlo delapſus videretur ob ſingulares animi dotes atq; virtutes: quas inter duæ potiſsimum, tanquam in illuſtri loco collocatæ, ſplendeſcere, & oculos præſtinguere viſæ. Altera in bonorum fortunæ deſpicientia, altera in animi celſitudine eluxit: ea enim continentia in caſtris ſe geſsit, vt magnam ſæpenumero vim pecuniæ oblatam ad victum, cultumq́ue corporis, conſtanter repudiarit: neque noſocomij ſumptu, ſed Prætoris Ioannis Vegæ eleemoſynis perpetuo victitarit. Poſtrema vrbis oppugnatione gregatim ad illum milites aduolant, cóndito in procinctu teſtamento, & allatis quæ in bonis haberent, apud illum deponunt. Siquid ipſis accideret, ſuo illis rebus arbitratu vtatur; vel quæ in ſcedula adſcripſiſſent ſeruari, rataq́; haberi rogant. Miratus tantum ſui apud illos fidem valere, magna pecuniæ vi credita, Deum ſupplex precatur, ſaluos, inco-

columesque seruaret milites Christianos, eos vero potissimum, qui fidem suam secuti omnia sibi credidissent. Voti mox compos LAYNES fuit. Parta enim victoria ancipiti Marte, & sanguine perfuso, nemo tamen eorum, qui fidem illi habuissent, vulnere accepto pugna excessit, nedum cæsus occubuit. Singulis itaque sua restituit, fidemque liberauit. Obseruatum à curiosis quantum eius preces apud Deum pro exercitus incolumitate valuerint: quanta eius fides abstinentiaq; fuerit, qui nihil alienũ appetijsset. Et vero si verum fateri volumus, nihil æque in admirationem hominum religiosorum vulgus rapit, atque terrenarum rerum, quas omnes admirantur, despicientia. Nec vero minor hac continentia animi celsitudo fuit. Per tela enim, & ignes, glandesque machinis emissas intrepidus ibat, & securus: trepidantibus tamen fortibus etiam viris hostilibus sæpe armis patuit, illæsus tamen Dei præsidio euasit. Causam aliquando à socijs rogatus, respondit,

respondit, eam videri, quod animi gratia, aut ſpectandi cupiditate nunquam prodijſſet, ſed neceſsitate duntaxat, laborantibus vt opem ferret, periculis ſe obieciſſet. Capta iam vrbe, præſidijſque firmata, cum Siciliam verſus victrix claſsis traijceret, adeo fœda exorta tempeſtas eſt, vt qui hoſtes barbaros, ac prope innumerabiles non formidaſſent, procellam tamen naufragiumq; metuerent. LAYNES Prætoria triremi cum Ioanne Vega vectus, animo excelſo addicendum, vt metum alijs eriperet, ſurrexit. *Ecquid milites timetis? an abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nequeat? qui capillos capitis in numerato habet: cuius ſine prouidentia ne folia quidem arboribus decidunt. Paueant impij, qui vitam hanc mortalem nimis amantes, animas, vna cum corporibus extingui, nihilq; eſſe à morte reliquum putant. Nos vero à Deo Optimo Maxim. edocti, æternæ beatitudinis ſpe ſubnixi, & laborum* requietem

requietem expectantes, cur timeamus? quis scit, an purgare mari delicta nostra Deus cupit? Et forsitan insolentiores, non illi, vti debetur, victoriæ gloriam tribuimus. Bene itaque sperare, constantiq; esse omnes animo iubeo. His auditis primæ vir nobilitatis, & Ioannis Vegæ exercitus Imperatoris agnatus. *Recte,* inquit, *tu quidem Pater, & vere mones. Tibi quidem nefas est trepidare, quod ita vixeris, vt recti conscientia & beatitudinis spe mortem minime formidandam sentias: nos vero qui omnibus flagitijs cooperti, in multis deliquimus omnes, & inferorum pœnas metuimus, hac orta tempestate in ipsis pœne Orci faucibus non trepidemus?* Dei mox benignitate in malaciam tempestas vertit, mareque tranquillum nauigantibus fuit, & Drepanum Siciliæ promuntorium classis tenuit, & in terram desilientes milites eam de LAYNE existimationem induerant, vt nõ defuerint qui tunicæ laciniam, tanquam hominis vere pij, resectam, seruarint

In Tri-

In Tridentinam synodum Iulij III. autoritate reuertit.

CAP. VII.

ROmam LAYNES ab Africana expeditione iussu Ignatij redijt. Is omnes, quibus commodum esset, socios conciuerat, quod se præfectura abdicare, alteriq; imperio cedere vellet: sed magno rursum LAYNES impetu, viq; dicendi impediuit, suasitq; societatis administrandæ prouinciam, difficilẽ quidem illam, sed publicè profuturam, vt auctor, & princeps, ne detrectaret. Multa in hoc conuentu eius consilio, magno sociorum fructu, constituta. Et hæc quidem priuatim gesta; publice vero Romæ concionatus frequenter. Post Pisas discessit, euocatus à nobilissima matrona Leonora Toletana, Etruriæ Ducis coniuge: quæ ibi tum, vt socijs domum exædificaret, versabatur. Cœnobia & hic virginum sacrarum obiuit, correxitque disciplinam. Principum sibi viro-

C rum

rum animos adiunxit : complures etiam ſocietati tranſcripſit. Pauperes corrogatis eleemoſynis fouit, vt & ſuum defraudans genium de ſuo demenſo, quod Leonora quotidiano victui attribuerat, comparſerit, egeniſque donarit. Piſis Romam reuertit Iulio III. Pontif. iubente, qui ſacroſanctum Tridentinum Concilium, annos aliquot bellorum ciuilium tumultibus, & Pontificis Pauli obitu intermiſſum, inſtaurandum iuuandæ laborantis Eccleſiæ ſtudio curarat. LAYNEM itaque & Salmeronem Theologos eodem legauit. Hic ne qua de ſententiæ dicendæ ordine, vt ſolet, contentio naſceretur, decretum eſt à Legatis Pontificijs, qui ad concordiam Eccleſiæ ſarciendam, priuatim etiam, curas omnes, cogitationeíſque conuerterant, vt pro Principum, qui mitterent, dignitate, Theologi ſententias ordine dicerent. Pontificis itaque maximi, qui Eccleſiæ, Conciliorumque caput eſſet, habita ratione primum ſocij duo & in his

LAYNES

LAYNES sententiam dixerunt. Quod eo difficilius fuit, quo grauius est alijs verbo præire, quæ vel sequantur, vel repudient: eam tamen eloquentiam, dicendiq́ue vim LAYNES attulit; vt ab illius omnes ore Patres pendere viderentur, in illiusq́ue sententiam, ob singularem coniunctam cum pietate doctrinā, concederent non inuiti. In qua quidem re illud ad æternitatem memorandum, quod ex illius ore auditum ferunt. Præfatus enim quæ de maiorum religione, Fideiq́ue controuersijs in sacro illo conuentu agitanda essent; non humano ea iudicio dixit, sed DEI Spiritu, qui Concilijs adesse soleret, metienda videri. Sententias quoque Pontificum, Conciliorum, Patrum, Doctorumq́ue Ecclesiæ Catholicæ auctoritate excutiendas. Tabulis itaque obsignatis, testibusq́ue omni exceptione maioribus in rem præsentem veniendum. Ad se quod attinet, daturum operam, ne quem è sacris scriptoribus laudaret, te-

testemque aduocaret, quem non à capite ad calcem diligenter, & attente legisset: plerosque etiam euoluendo descripsisset: loca inter se pugnantia, veritatis inuestigandæ, accuratè, partim contulisset, partim conciliasset. Vno itaque spiritu, sex interdum, & triginta Patrum testimonia memoriter reddidit: in his etiam Alphonsi Tostati Abulensium Episcopi; cuius tot hodie scripta in sacros libros reperiuntur, vt ijs legendis, quod de Marco Varrone togatorum doctissimo, Augustinus prædicat, ætas hominis, tametsi longæui, vix suffectura videatur: ne dum, quod à LAYNE præstitum accepimus, vt in breuius volumen euoluendo transcribi queat. Qua quidem rerum, verborumque copia in amplissimo illo vniuersitatis, optimorumque ingeniorum Theatro auditus LAYNES, tres sæpe horas dicendo exemit, summa eorum, qui aderant & voluptate, & vtilitate. Cumq; ob ingenij acumen, & tractandæ rei, qua de ageretur perspi-

perſpicuitatem, primum quidẽ Pontificis legati audire illum vellent, eo ipſo tempore quartana febri tentari cœpit: iuſſerunt itaque, ne qua controuerſia inchoaretur nouercali LAYNIS die. Illud certe conſtat, egregiam vtrunque in ſacra ſynodo legatis, atque Epiſcopis operam nauaſſe in rebus, quæ ad Catholicæ Eccleſiæ vtilitatem pertinerent, decernendis: ſocietatis ad hæc inſtitutum, ad eam diem ignotum illuſtrarunt, & toto terrarum orbe diſſeminarunt; gratumque Romanis Pontificibus reddiderunt: qui ſocios exinde fouerunt, prouexeruntque in maius. Et vero diuina prouidentia factum, trium Concilij ſub Paulo III. Legatorum, duos iam tum ordine ad Pontificatum euectos fuiſſe Iulium III. & Marcellum II. Quorum hic quidem breuis æui fuit, (vix enim viginti diebus clauum Eccleſiæ tenuit) optimè tamen in ſocietatem noſtram animatus; ille vero ſumma, dum vixit, beneficentia comple-

xus eã est, prolixeq́; ornauit, pridem in synodo vtriusq; socij labore perperspecto. Hi, & reliquorum Ecclesiæ Antistitũ, principumq́; in Rep. virorum, hominumq́; literis, ac pietate illustrium, ijsdem sibi artibus voluntates adiunxerunt: vt quasi Tridenti fundamenta iacta primũ esse videantur Collegiorum societatis: in Hispania quidem, Illiberitani, seu Granatensis, Placẽtini, & Murgitani; in Gallia vero Parisiensis, Billomensis, & Mauriacensis. Nec in postrema laudis parte ponendum, quod LAYNES Martino Olauio Theologo insigni, tum familiarissime vsus fuit, qui à suo sententiã dicentis ore penderet: Nec diu post societati adscribi postulauit. Rem, vt gesta est, quando huc pertinet, ordine exponam.

Martinus Olauius societati se addicit.

CAP. VIII.

CAntaber hic genere fuit, Domo Victoria: quod oppidum Olauæ pro-

prouinciæ caput est: nobilibus, & magna cum re parẽtibus natus. Adolescens Complutum Carpetanorum ingenij excolendi gratia missus, Philosophię ita se tradidit, vt æquales ceriter superarit. Primus hic mortaliũ Ignatio Loyolæ, academiam ingresso occurrit, stipemq́ue eleemosynæ petenti dedit. Cuius beneficentiæ post eum fructum tulit, vt Ignatij ad Deum precibus societati tandem se consecrarit. Hinc Lutetiam tanquam ad mercatum disciplinarum profectus, laudandarnm artium docendi munus sustinuit: mox ad diuinam Philosophiam scientiarum reginam se contulit. Quo in studio quantum excelleret, exitus declarauit, lauream enim decurso spatio, titulosq́; suscepturus, in primis numeratus est: quæ laus summa semper illic est habita. Festiuus natura, & vrbanus, lepore & salibus alios oblectare solitus, Ignatium, & socios fugiebat, quod anxios plus æquo crederet, & religiõne scrupulisq́ue animum torquere putaret. Lutetia in

Cæſaris regiam Pintiam redijt: cui à ſacris fuit ſacerdos : ob gentilitia ornamenta, & doctrinam gratus acceptuſque aulicis. Hic pacis temporibus ludos, pompas, ferculorum apparatus, libenter in aula ſpectare. Carolum mox in Germaniam arma mouentem ſecutus, militiæ quoque tolerauit commoda vitæ ſimul & incommoda. Didicit tandem belli, paciſque artibus, animum exſaturare, cum à Deo diſceſſeris nihil poſſe. Igitur de pio, meliorique vitæ genere animo agitare. Summa illi tum neceſsitudo erat cum Petro Soto, inſigni familiæ Dominicanæ Theologo: qui & ipſe Cæſari à ſacris confeſsionibus auctoritate plurimum pollebat. Hic religionis maiorum, peſſum in Germania euntis, pubiſque Germanicæ vicem dolens, à Carolo in Belgio commorante miſsionem impetrauit: vnaque cum Olauio, eo conſilio in Germania ſubſtitit, quo nutantes, & magnæ ſpei iuuenes in Catholica maiorum fide erudiendô confirmarent,

rent, & hæreticorum fraudibus, vt murum pro domo Dei, sese vitamque obijcerent. Commodum iam Otho Thruchsesius Cardinalis, & Augustanæ reipub. Episcopus, magnum illic ijs temporibus Ecclesiæ præsidium in eandem curam cogitationemque ingressus, Dilingæ (oppidum id Augustanæ dioecesis est) Gymnasium alendis pie adolescentibus ingenuis, inchoarat. Huic Petrum Sotum, & Martinum Olauium Theologos, præficit, aluitque liberaliter. Re tandem, alijs ex alijs orientibus incommodis, turbata, Sotus in Hispaniam reuertit: in occidentis Indiam Olauius cogitat, vt gentes illas Barbaras, quando in Germania, vt optabat, non successerat, Deo lucrifaceret. Bibliothecam optimorum librorum refertam eo consilio Hispalim, vbi conscenderet, præmisit. Interea loci Iulius III. Pontifex Maxim. Concilium Tridenti, vt supra demonstrauimus, instaurandum curat: euocatus, missusque eodem ab Augustano Cardinali Ola-

uitus, eo libentius in viam se dedit, quo plures in amplissimo illo ingeniorum theatro conuenturos homines doctissimos audierat. Quos inter docti, atque diserti, & in disputando vehementis, famam est consecutus. Fixa nihilominus alta mente profectio Indica hæsit. Inaudierat enim socios Lusitanos apud orientis Indos magnum in dies laboris fructum Euangelica prædicatione tanquam manipulos referre. Exemplo itaque quasi calcaribus incitatus somnum vix capiebat. Quare Ioannem Polancum, Romæ tum à secretis Ignatio, qui cum actissima olim Lutetiæ familiaritas intercesserat, per literas rogat, vti pro vetere necessitudine consilio iuuaret, omnemque procurãdæ Indorum salutis rationem perscriberet: quando sociorum hac vna in re vestigijs insistere cuperet. Respondit ille, quod res erat, longum id fore: litteris id genus omnia mandari commode nec posse nec debere. Bonum itaque factum si Romam Tridento, cum abesset propius, aliquando

do excurreret, vt eadem opera, commodo quod fieret suo, principum Apostolorum limina viseret, Martyrumque sancta in vrbe impressa vestigia lustraret. Turbatus nonnihil responso Olauius, escam captari se à Polanco ratus, vt vel inuitum ei societati, quam pridem fugisset; ascriberet, vnũ LAYNEM, prçterea neminem oculis ferre libenterque audire solitus. Verum, vt fit, multa tum inciderunt, quæ mentem excruciarent, & ab Indico itinere deterrerent: subijt enim animum cogitatio præstabilius ne ad animi salutem foret, sodalitati sese piorum hominum qui vni præsuli obtemperarent, sponte aggregare, an in tam longam se viã ancipitemque casum dare. Septem Tridento passuum millibus Benacus lacus abest, (Gardæ finitimi appellant): cuius in vmbilico Benedictini sodales habent, amoeno sane in loco, & ad precandum meditandumque peridoneo; huc Olauius, vt maioribus verni temporis ieiunijs, à

ſtudijs, negotijſque mente abducta.
Deo melius, & precationi, pœniten-
tiæque operam daret, ſeceſſerat, an-
1552. no, opinor illius ſeculi 1552. Hic an-
cipiti diu cogitatione diſtractus
huc tandem euaſit, vt miſſam In-
diarum profectionem faceret, va-
lidioribuſque mandaret, ſolitariam
ipſe vitam, Deo vocante complecte-
retur. Alius rurſum nodus incidit,
quam nam potiſsimum de multis
religioſorum hominum familijs,
ſuo aliorumque emolumento de-
ligeret. Paratum ſe ad quoduis vi-
tæ inſtitutum tandem comperit, vna
ſemper ſocietate excepta: à qua tum
vſque eo abhorreret, vt cum Deum
venerans ſæpenumero precaretur,
optimam vitæ viam oſtenderet, ſo-
cios animi ductu exciperet. Igi-
tur luctatus diu multumque nec
ſibi faciens ſatis, Dei tandem vo-
luntati ceſsit, qui leges ſibi præ-
ſcribi vetans, liberum hominis
animum poſtulat. Sacro anni fe-
ſto, quo Chriſti ab inferis exi-
ſtentis memoria publice colitur,
rem

rem diuinam Olauius faciens, panem illum cœleſtem manibus tenens & adorans, enixe Deum obteſtari, vt anxiam illã curã tãdẽ aliquando eriperet, ſalubria ſuggereret. *Domine,* inquit, *quid me vis facere? doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Tua non mea voluntas fiat: paratum enim cor meum Deus: tantum dic verbo, & in nomine tuo laxabo rete.* Hic iam mutatam ſibi mẽtem ſenſit, audireq́ue intus viſus eſt vocem: Hic ſis, volo: cum ſocijs vna viuas, moriariſq́ue iubeo. Te enim mihi, non me tibi dignum eſt obſequi. Durum tibi cõtra ſtimulum calces iacere. Paruit Olauius Deo, ſic exclamans: *Domine ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ;* Votis iam ſe obſtringere Euchariſtiæ aræ aduolutus: vnã ſocietatẽ ſibi expetendam, quam ſalutis viam oſtenderet, qui via eſt, veritas & vita. Mutatus Olauius, vt nõ agnoſceres eundem eſſe: iam tum enim, oculis antea captum, videre ſe aiebat: iam amare

quos fugiſſet ſocios: gratias itaque Deo meritas agere. Tridentum mox reuerſus, ad LAYNIS ſeſe & Salmeronij familiaritatem promptius retulit: interruptiſque iterum Concilij couentibus, Romæ ab Ignatio humaniter acceptus, pijs exercitationibus, domeſticiſque officijs diu multumque tiro probatus, ſocietatis Romæ Collegio quatuor ipſos annos
1556 præfuit. Poſt anno 1556. octauo decimo poſt Ignatium die, quem kalend. ſextilibus humeris extulerat, iuſtis ritè perſolutis, morte eundem eſt ſecutus: breui quidem curriculo, ſed piè innocenterque decurſo. Memoria teneo, cum primum Romæ ſacras luſtraret diuorum reliquias, templaq; obiret, auditã ex illo vocem, domum reuerſo: *O piam ſociorum familiam, me miſerum, qui eam nimis diu ignorãs, fugi, ſæpe etiam de eadem detraxi.*

Iacobi Ledeſmæ vita & obitus.

CAP. IX.

Ope-

OPere pretium fuerit meminisse & Iacobi Ledesmę viri ea tempestate prope singularis: cum quia amisso Olauio, tanquam in vacua venit: tum quod à LAYNE qui Ignatij vita recens functi vices gereret, sociorum albo adscriptus est. Denique quod multa hinc iuuentus hauriet virtutis exempla. Hispanus & hic origine Cuellara in oppido, honestis parentibus natus. Compluti adolescens in litteras incubuit, mox Lutetiæ Parisiorum præstãtissimis doctoribus operam dedit. Eos verò breui processus in humana, diuinaque philosophia, omniq; adeò doctrinæ genere, fecit; citius vt excellere contigerit, quam animo æquo ferre æquales possent. Hinc Louanium Grudiorum celebrem optimis semper disciplinis Academiam, profectus, socijs vti cœpit perfamiliariter: Mores vsque eo probare, vitæque institutum, vti quo minus ijs sese tum adiũgeret duo prætendere soleret: cum quia multa in Philosophia, & Theologia scribendo cõmentatus esset, quæ ex-

cludere,

cludere, forasq; dare pararet; veritus, vt id ſatis commode apud ſocios poſſet: tum quod puſillo nimis anguſtoque animo, continentem ſe perpetuo viuere poſſe diffideret. Illinc tamen rapiebat cœleſtis vitæ deſiderium. His curis vtramque in partem diu multumque, Herculis Prodicij in morem, diſtractus, huc tandem euaſit, vt pudore inepto valere iuſſo, ſacerdotem noſtrum interrogarit, maiorem ne animi trãquillitatem, à Philoſophis, & à pijs hominibus commendatam, in ſocietate, quam foris, vbi turbarum plena ſunt omnia conſequeretur. Ad hæc ſocius prudenter: Vni id Deo opt. max. cognitum, qui futura iuxta ac præſentia, renes item cordaque intueretur. Mortalibus vtique incertos euentus, ignotoſque eſſe. Si forte quid opinaretur, quæque experiretur, ipſe & alij percunctando quæreret, ſperare, fore, vt Dei beneficio ſumma animi pace, bonoque inter ſocios degeret. Ad hæc nihil ille cunctatus: *En adſum, me ſocijs adſcribite.* Deliberare amplius iubet

bet sacerdos. Postridie enim diei cõstantiam attulit: narrat Romam versus eo se consilio profecturum. Colonia in Vbijs Agrippina iter habens, socios regere ibi cõperit Leonardum Kesselium singulari virum innocentia, morumque integritate: ad socios enim diuerterat Ledesma. Deum hic obnixe precatus, constantiam, continentiamque ad eam, quam meditaretur vitæ viam largiretur, occurrit illi casu Leonardus, nihil eorum, quæ animo versaret, cõscius, & sponte appellans: *Næ pater constantiam Deus dabit.* Hoc tanquam Dei oraculo, in sententia confirmatus ille est. Augustam Vindelicorũ post delato, precantique eadem, Christus in conspectum se dedit; & quo flagraret castitatis simul & constantiæ donum benigne pollicetur. Quod vt omnes celauit, sic vni, cui ritè confitebatur, sacerdoti aperuisse se narrauit: à quo formam coloremque, quibus apparuisset Christus, interrogatus, sese quod extra se ecstasi positus esset, præ gaudio, animique voluptate, obseruasse

nasse illa negabat. Alio item tempore eadem Deum roganti, sibi visam liquido affirmabat, conceptis etiam verbis iurare paratus, homo minime vanus, Reginam Angelorum; Maria Magdalena, duabusque Catharinis, Martyre & Senensi stipatam; Promisisse item continentiæ, constantiæq; virtutes, se animam agenti præsto fore, quæque polliceretur vera comperturum. Continentiæ enim dono non indignum, qui tanto eam studio flagitaret. Comites quoque virgines alternis occinebant:

Diuina res est castitas:
Maiora sed sunt præmia
Quæ continenti dat Deus.

His imaginibus visisq; vehementer animatus Ledesma, piè continenterq; ad extremum vsque Spiritum, Deo bene iuuãte vixit. Romam tandem Vrbium reginam ingressus, Præpositi generalis vices, amisso nuper Ignatio gerere LAYNES acce-
1557. pit, ineunte anno 1557. Ceterum iter faciens, comitem nactus Petrum Ribade-

badeneyram, dicere eidem ſolebat identidem : *Vtinam in Auguſtini, & Hieronymi tempora, felicia illa, ac docta incidiſſem : quorũ vſu doctior, Deiq́ amãtior euaſiſſem.* Poſt cognita LAYNIS eruditione ac ſanctitate, eidem voti ſe iam compotem factum lætus narrabat. Igitur Romæ benigne acceptus, ſpecimen, vt ſocij tirones ſolent, ſtudiorum dare iuſſus, octo ipſis diebus variarum ſcientiarum ſcholas, totidem horis coram doctiſſimis ſocietatis viris, in his & LAYNE, explicauit, in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Phyſicis, Ethicis, Mathematicis, & Theologicis : cunctis qui aderant, ingenium, copiam, promptamq́; memoriam mirantibus. Poſt Theologiam Ledeſma Romæ, fideique controuerſias, complures annos de ſupiore loco docuit, ſtudiorumque Præfectus ea conſtantia fuit, nihil vt præter communem ſententiam quod eſſet, tueri quemquam in Theſibus pateretur. Vrgentibus ſæpe collegis, qui & ipſi doctoris perſonam ſuſtinerent, aliud

ex alio

ex alio effici incommodum longa sedecim conclusionum serie ostendebat. LAYNES itaque acerrimi vir, & ingenij,& iudicij,cum ceteros laudaret Romæ doctores,hunc cū paucis cōponebat eidē certe anteponebat neminē. Ab externis quoq;,qui illum libenter quotidie deliberando cōsulerēt ,magno in precio est habitus. An.
1575. tādem sæculari sancto 1575.cum ex omnibus orbis terrarū prouincijs magna hominum vis Romam, peccatorum venia obtinenda, conflueret, in illud sociorum collegium ob singularem eruditionem migrare iussus, quod vulgo S. Petri pœnitentiariam dicunt, vbi cōscientiæ nodos pœnitentibus expediunt, adeo lucubrando vigilauit valetudinis incōmodo, vt ceteris satisfaceret omnibus, ipse nato in capite vlcere, mortem ad 14. kalend.Decemb. obierit vndeuigesimo in societate anno transacto, summa pietate: non raro visis diuinis recreatus. Obseruatum quatuor potissimum animi ornamentis excelluisse Ledesmam. Prima virtus animi demissio

missio summa fuit, quamquam singulari doctrina præditus esset, & scientia inflare homines soleat. Superiores cum appellaret, aperto semper capite, animoque prompto, quod imperatũ esset, dicto audiens accipiebat. Deinde tam excellenti rerum disciplinarumq; cognitioni adiũcta pietas fuit, vt imaginibus, & agni cœlestis effigie, granisque piacularibus mirificè caperetur: tum verò potissimum libellorum asceticorum, qui simplici stylo scripti essent, lectione delectabatur: candidis itemque minimè fucatis ingenijs amicissimè vtebatur. Post, rigidus in opinionum sententijs cum esset, nullum vt paradoxũ æquo animo pateretur: ea tamen patientia fuit, vt fessis reliquis libenter ipse audiret, perduraretque, nullumque sibi verbum acerbius excidere pateretur. Denique se regularum societatis obseruantissimum præbuit. Si quid ad eos qui socijs præessent, commodo publico referret, siquid aliter illis videretur, minimè contendere aut moleste ferre con-

re consueuerat: plurimum illis merito deferens, aut superiorum auctoritatem defendens. Turbis itaque perpetuo abstinens, & ad pacem omnes concordiamq́; reuocans, eodem semper vultu animique habitudine spectabatur. Sed vnde digressi sumus, reuertamur.

Sociis Italiæ prouinciæ præficitur LAYNES.

CAP. X.

PRolatis ob bellorum ciuilium tumultus Concilij Tridentini rebus, atque cōuentibus, LAYNEM Ignatius à negotijs liberū Italiæ pro-
1552 uinciæ præfecit, secundo & quinquagesimo eius seculi anno, tergiuersantem primum illum, ac detrectantem: tandem tamen cessit imperio. Hortari omnes ad pietatem sedulo socios, non verbo magis, quam exemplo. Collegia obire, atque lustrare: instaurare etiam, si necesse esset, & augere, vt in Perusino, & Genuensi factum accepimus. Respicere in Ignatij exemplum, regulamque, quam vitæ instituto

ſtituto tenerent, accurratè ſeruari iubet. Iam verò concionibus totam ferè Italiam obeundo, ſocietatis exiſtimationem mirificè auxit. De varijs item fidei controuerſijs, vitęque officijs frequenter conſultus, conſcientiæ nodos expediuit. Genuæ Ligurũ, pacta, cõuenta, & mercatorum fenora ſic dijudicare ſolitus, vt ius, & æquum vbique, quoad eius ſalua religione fieri poterat, quęſijſſe, animoſque laqueis irretitos egregiè liberaſſe ſit creditus. His ferè curis anno ſequenti, quarto item, & quinquageſimo occupatus à Iulio III. vna cum Hieronymo Natali comes datus Ioanni Morono Cardinali, Auguſtam Vindelicorum miſſo (vbi Cæſar procerum Germaniæ conuentum agebat) vt de rebus arduis, religioneque maiorum commodo publico agerent. Sequẽs mox annus Iulio fatalis: Martio enim menſe vita decedens vacuam ſedem Pontificiam Marcello S. crucis Cardinali reliquit. Moronus rebus geſtis Romã aduolauit: LAYNES Florentię, cõcionãdi gratia, & prouin-

1553
1554
1555

prouinciæ ſociorum adminiſtrandæ ſubſtitit. Marcellus II. nomen retinens optime ſe in ſocietatem animatum, quippe qui Tridenti LAYNEM nouerat Concilij legatus cum eſſet, ſtatim reipſa declarauit. Ignatio enim pedes de more exoſculante, ſummamque in terris dignitatem gratulante, binos ab eo ſocietatis Theologos poſtulauit, quorum conſilio rem Eccleſiæ publicam, difficilimis temporib⁹ adminiſtraret. Incidere enim ſæpenumero magno dignos vindice nodos: addito hoc etiam modeſtiæ ſingularis, & beneuolentiæ elogio: *Niſi ſi vtiliores alibi ſocij illi futuri eſſēt.* LAYNEM itaque Ignatius deſtinat, cui arcana ille antea vitæ, priuatus cum ageret, credidiſſet omnia. Olauium item, qui Eugubium illius Epiſcopatum vna luſtraſſet, parta ea doctrinæ opinione, vt Magiſtrum frequēter appellare ſit ſolitus Marcellus. Verum vt res ſunt hominum, non proprium atq; perpetuū id Eccleſiæ, ſocietatiq; gaudium fuit. Vigeſimo enim die exſtinctus Pontifex, magnū omnibus

omnibus ſui deſiderium, luctumque reliquit: vt ante diem ereptum, terriſque tantum oſtenſum, optimus quiſque iudicarit.

Cardinalis honorem fugit LAYNES. CAP. XI.

PErbreuem Marcelli Pōtificatum excepit Ioannes Paulus Caraffa, Archiepiſcopus Neapolitanus, & ſenatus Cardinalium Princeps (Decanum vulgo nominant) qui inauguratus, Paulus IV. mutato de more nomine appellari cœpit. Hic Theatinus Epiſcopus cum eſſet, abdicatis titulis, probos aliquot viros collegerat, familiamq; inchoarat eorum qui hodieq; Theatini inde nuncupantur. LAYNES & huic gratus acceptuſq; fuit. Quamobrem cardināliū extemplo collegio inuitū adſcribere Pontifex animum induxerat. Cum Ignatiū triſtem Riba deneyræ dixiſſe accepimus. *Ni Deus prohibeat, breui LAYNES noſter purpureo galero donabitur. Id ſi, quod nolim, accidet, talem ſe ille præbebit, vt non quæſiiſſe ſocietas*

 honores,

honores, sed fugisse potius videatur. Angi quoque hac re vehementer visus LAYNES quod fallere, ac latere mallet, obscurusque societatis inopiam titulis omnibus anteponeret. Igitur Deum, qui hanc illi mentem dedisset, assiduè precari, omen auerteret: Cardinales quoque familiares appellare, & obtestari, existimationis suæ, societatisque rationem pro vetere necessitudine, ducerent. Ex animi sententia loqui, nihil se perinde atque honoris titulos deprecari. Persuasum itaque illud haberẽt, vtiliorem se Ecclesiæ Dei operam priuatũ, quam in illustri dignitatis loco nauare posse. Pontifex nihil cunctandum ratus; ne res mora, vt fit, corrumperetur, LAYNEM ad se migrare extemplo iubet, quod opera illius in constituenda re cum priuata, tum publica, vti vellet. Paruit is; at postridie eius diei ad socios quasi de re dubia deliberaturus, reuertit, mansitque. Nullus enim candidatus maiore vnquã studio magistratus honoresque prensando ambi-

ambiuit, quam LAYNES fugit. Etenim qui cœleſtia conſectantur, acutius vident, longeque ſecius, atque ambitioſi homines iudicant. Hi enim honoris ſtudio inani, ac perbreui; illi verò gloriæ contemptu felicitatem metiuntur: vt bene eum vixiſſe ſapientes olim homines iudicarint, qui, viuens iuxta ac moriens, latuit. Teſtatus itaque ſua manu ſocietati LAYNES eſt, ſanctequè prolatis tabulis confirmauit, hanc ſibi mentem ſocietatis auctorem Ieſum dediſſe, vti nihil in vita accidere poſſe acerbius putaret, quam vt honores, quos fugiſſet, capere cogeretur. Igitur rogare precibus aſſiduis in partem iuuarent, eoque ardentius, quo maiori emolumẽto futurum ſocietati crederent, æquali omnes iure, procul ambitione atq; inuidia, ſorte contentos ſua, perpetuo viuere. Euicit tandem LAYNIS ſtudium, conſtantia ac deprecatio: poſt, tanquam maximo naufragio ſal uus enataſſet, Deo gratias obnixe

agere, priuatam vitam laudare, ac libenter amplecti: hoc denique ceteris Dei in se beneficijs adnumerare acceptumq́; conferre consueuit.

Ignatio vita functo LAYNES Præpositus generalis creatur.

Cap. XII.

DVm hæc Romæ geruntur, Ignatius, pridie kal. Sextilis anni
1556. insequentis 1556. ex hac vita in beatorum sedes migrauit: Layne interim graui morbo ad medicorum desperationem laborante, quem, licet ægrũ munus Ignatij obire, à morbo recreatum Patres iubent. Huius ille consilij ignarus, vbi se confirmata valetudine collegit, prouinciam detrectauit. Vicit tamen Patrum consensus, Deoque id placere pronunciantibus, suscepit inuitus. Euocatis mox ex omnibus Europæ prouincijs, electis patribus, qui collectis suffragijs Præpositum Ignatio nuper amisso sufficerent, ad statum diem Romæ præsto essent, conuentumque agerét

iubet.

iubet. Aduolant alacres, vt iussi erant, demptis Hispaniæ socijs: qui prouincijs, vt optabant, non egressi quod bellum tum Paulus IV. cum Hispaniarum rege Philippo gereret: metuerentque belli itinerumque pericula: silent enim inter arma leges. LAYNES itaque primum societatis conuẽtum qui posteris exemplar esset futurus, mutilũ & perpaucorum sociorum esse non passus, deliberandum censet vtrum è re societatis esset, conuentum ampliando dimittere, & pacis tempus otiumq; expectare, an alium locum captare, quo Hispani conuenire tuto possent. Tandem in eam sentẽtiam itum est, prolatandum videri. Igitur domũ retro, Patribus re infecta redeuntibus, calumnia bonis semper infesta, disseminare in vulgus rumorem cœpit, socios omnes, partium studio ductos Roma, vbi primum nata, & alta societas esset, digredi, & alio cõmigrare. Pupugit nonnihil Põtificem rumor, qui LAYNEM amaret. Res tamen promptius credita, quod Hispanos

Romæ plurimos tum in societate agere accepisset. Nomina itaque sociorum, qui Romæ essent singillatim perscribi iubet, neúe quis se inscio discederet, vetat. Deum hic LAYNES precibus fatigandum, placandumq́ue Pōtificem, censet. Socijs imperat, vt in aduersis rebus solet, Litanias diuorum ea gratia quotidie recitent: vt B. Dominicum olim fecisse meminisset, cum aduersariorum improbitate apud Innocentium IV. in crimen adductus esset. Vertit tādem Dei benignitate in tranquillitatem tēpestas, remq́ue, vt gesta erat, LAYNIS oratione Pontifex libenter accepit, sociosq́ue complexus est perhumaniter. Tranquillatis mox rebus, paceq́ue reipubl. reddita, positis
1558. vtrinque armis anno 1558. denuo conuētus sociorum Præposito deligēdo, Romā indictus. Actum hic de optima eligendi Præpositi ratione diligēter, quā in posterū seruari vellēt. Formula Pōtificis max. auctoritate, quatuor ad hæc Cardinaliū iudicio cōprobata est & ꝓmulgata. Nihil domi eorū,

quæ

quæ ad placandum Deum, & inuocandum pertinerent, qua precibus & vigilijs, qua ieiunijs flagellisque à socijs prætermissum. Postridie kalen. Quinctilis, qui dies visitatione Virginis festus est, Petrus Paciecus Cardinalis Hispanus, societatis conuentum ingressus, Patres Pontificis verbis securo animo esse iubet, quemq; idoneum maxime iudicarent administrandæ societati, nihil verẽtes eligerent, commodo non solum suo, verum etiam Ecclesiæ Dei. Visum item eidem Pontifici, iustis de causis vtilius societati fore, perpetuum illud præpositi Generalis, nõ annuum, terminisq; circumscriptum munus esse. Pontificem non solũ parentis, vt oẽs pij solẽt, sed & parẽtis singularis loco ducerent, ob magna eius sodalitatis in Ecclesiã merita, & in tuenda religiõe maiorũ officia. Post in eo ipso conclaui, quo Ignatius spiritũ emisit, Patres Deũ venerantes precantur, vt parem illi sufficiant. Hinc suffragia in vnũ LAYNEM collata, tãta itaq; lætitia, prouinciarumq; consensione

eligitur, vt lacrymas præ gaudio socij non tenuerint: quia & hilariorem sibi nullum illuxisse diem, qui aderant affirmabant. Quod vbi in vulgus manauit expectantibus euentum amicis, ea acclamatio est subsecuta, sibi gaudentium, socijsque gratulantium; vt facilè quanti LAYNEM facerent omnes testarentur. Vnus ipse mœstus apparuit, onus impositum, qua erat prudentia, animo præsentiens ac reformidans: recti tamen conscientia nixus, quod eum honorem minimè ambijsset, quin potius omni ope defugisset. Dei itaque benignitate fretus, prouinciam tandem difficilem illam quidem, sed publice profuturam suscepit, mox Nonis Quinctilibus, socij conuentu habito, gregatim ad Pontificis pedes more maiorum osculandos, benedictionem, vt impetrarent ingressi, benigneque accepti. Assedit Paulus, Patresque in orbem genibus aduolutos, latine & diserte hac fere oratione, quam ex fide bona repręsentamus alloquitur.

Summa animi voluptate, dilecti filij, Deo, à quo omne donum perfectum manat gratias agimus, quod in vestro Præpositi generalis delectu præsens adesse voluerit, conuentumq́ue, vt constat, legitimum, ratum habuerit: ea enim in tanta nationum varietate consensio, amorisq́ue mutui ardor exstitit: vt non nisi à diuino spiritu, qui ritè congregatis adesse solet, profecta esse videantur. Planum enim factum est omnibus, societatem vestram non arenæ inædificatam, sed firmæ petræ, & angulari lapidi Christo Iesu inniti. Et verò permagni intererat primum hunc ab Ignatij Loyolæ morte conuentum, delectumq́ue sociorum bene feliciterq́ue euenire, vt norma posteris, & regula esset, & tanquam fax præluceret, in quam & alij, Præpositis morte amissis, socij respectarent. Hæc nos sperare Deus iubet, qui hunc societati spiritum indidit, consensumq́ue animorum summum attribuit. Augebit item in immensum cœtum vestrum, dabitq́ue & perficere, qui dedit & velle

 ad no-

ad nominis sui gloriam, vtilitatemque communem.

Hinc ad LAYNEM Præpositum generalem Pontifex conuersus: *Super te verò,* inquit, *dilecte fili, sors cecidit, vt societatis familiam duceres: quæ à paruis primum ducta principijs, vt & Ecclesia Dei, magnopere creuit: non solum tantis laboribus non deficias, sed illustrior, maiorque in dies existens. Sedes hæc Pontificia, & fouit adhuc socios, & fouebit deinceps amantius, non ignara, quanto id Ecclesiæ Catholicæ commodo fiat, cui vos vitamq; & labores omnes consecrastis: nullum capitis periculum refugientes, dum Dei causa salua sit, atque religio. Spes itaque bona nos tenet fore, vt posthac opera diligentiaq; vestra, corupti mores, ad pristinam disciplinam reuocentur, crescatq; in dies magis magisq; Dei cultus. Quare non otio, sed labori indulgendum, non delicijs, sed cruci ferendæ, danda est opera. Non est enim, vt Christus ait, seruus maior domino suo, si me persecuti*

sunt,

sunt, & vos persequentur. Hunc vobis ad imitandum proponite, currentes ad propositum certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM; qui, vt Paulus ait, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Proponite & Apostolorũ principem Petrum, qui vt Christum vnice amauit, sic & Crucis infame supplicium libenter sustinuit: & inuerso capite deorsum, ne magistro æquaretur, mori voluit. Proponite denique veteris, nouiq; testamenti sanctos viros, quorum vna omnium vox fuit: propter te mortificamur tota die, & facti sumus velut oues occisionis. Quem Prophetarum non sunt persequuti Patres vestri, obiecit Stephanus Iudæis. Christus quoque: & vos implete mensuram Patrum vestrorum. Videtis dilecti filij, Ecclesiæ Catholicæ laborantis statum, ab ijs vndique hostibus circumuentæ, qui Christi sponsam extinctam maxime vellent. si bellum duntaxat indixissent Gentes, Iudæi, Barbari, & noui orbis incolæ à Christiana fide

alieni, ferendum forsitan esset, inscitiaq́ue tribuendum: sed eos, proh dolor, infestissimos hostes nacti sumus, qui ex nobis exierunt, & Christi se nomine iactant, lauacro etiam Baptismatis tincti. Quæ cum ita sint; vigilare vos, vt fortes milites, & in statione excubare decet. Erit enim tempus, quantum prouideo, cum & nomen vestrum, improbis inuisum, & sanam doctrinam aduersarij non sustinebunt: sed pergite, vt cœpistis, ad brauium æternæ gloriæ currentes, vt aliquando comprehendatis. Non vos labor, periculaq́; deterreant, non debilitent minæ, non mortis metus frangat: sed ipsi vos holocausta offerte Deo in odorem suauitatis.

Ad electionem quod attinet, ratam eam habemus, & fortunare Deum, quæ agitis, precor. De me verò: omnia indulgenter vobis largior, quæ possum, & benedico illis etiam socijs, qui toto terrarū orbe, Euangelica prædicatione occupati, peregrinantur. Vos bonis omnib. augeat parens ille vniuersi Deus, ac Apo-

stolorum

ſtolorum princeps, cuius in ſortem, locumq́; vocati ſumus. Et tametſi negotijs publicis variè nunc impediti ſumus, ſi quid tamen poſtulabitis, quando Eccleſiæ Dei commodo veſter omnis labor impenditur, vobis ô ſocij noctu, atq́; interdiu fores patere volo. Deum Opt. Max. precor, numerum ſimul, & pietatẽ augeat, & Eccleſiæ, quæ agitis, bene euenire, ad omniumq́; vtilitatem pertinere, velit: crucis ſignum opera veſtra Gentibus ad orientem ſolẽ, & occidentem peruenire: nomenq́; Ieſu, & Euangelium prædicari.

Hac Pontifex diſerta oratione habita aſſurrexit, dimiſitq; ſocios, crucis ſigno bene precatus, quæ promiſerat re ipſa præſtitit perbenigne: viaticis enim, & alimentis, diſcedentes iuuit, cæteros fouit.

DE


DE VITA IACOBI LAYNIS

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Secundi.

LIBER SECVNDVS.

Rem Societatis publicam Præpositus generalis administrat. Alphonsi Castrij apud Indos Martyrium.

CAPVT I.



ONuentu dimisso, profectisq; in prouinciam socijs, nihil habuit LAYNES antiquius, quã vt ad societatem confirmandam, iactis pridem ab Ignatio fundamentis feliciter, curam, cogitationemq; conuerteret: Tergiuersandi enim nullũ amplius relictum videbat locum. Hoc itaque in primis studio fuit, vt Constitutiones diuinitus ab

tus ab Ignatio oratione, experimentisq; conscriptas, promulgaret, seruandasq; religiose, addita epistola, commendaret. Viderat enim acutè vir prudens, permagni interesse in tanta nationum, ingeniorumq; varietate, vno omnes communique Pręceptionum vinculo inter se colligari: nimirum vt esset, quemadmodũ consensio, amorq; mutuus; sic & morum sententiarumq; similitudo: ceteroqui in ciuili hominum vita, factiones, secessionesq; nasci. Quæ in Prouincijs singillatim seruanda conuentus præceperat, eadem re ipsa publico commodo geri mandat, vti in dies in immensum, quod euenit, cresceret societas, nihilq; res Christiana detrimenti caperet. Italiam quoq; sociorũ prouinciam, quæ Italiam vniuersam, Neapolitano regno excepto (cui Alfonsus Salmeronius præerat) complectebatur, quod maior esset, & vastior, quam vt ab vno Prouinciali præposito, vt illi annos aliquot vsu venerat, obire commode, ac lustrari posset, in duas diuisit. Insubrum al-

teraProuincia facta, vulgo Lombardiam àLongobardis appellant: quam ipsam hodie in duas diuisam, Mediolanensem, & Venetam, videmus. Præfectus illam administrare cœpit LAYNIS iussu Benedictus Palmius: cui & concionibus, & singulari pietate augere eandem studium fuit. Altera item Etrusca prouincia facta, quæ à Ligurum ora ad Anconam vsque, superi maris portum, pertinet: ambitu suo complexa, & Vmbriam, & Agrum Picenum, quem Marcam Anconitanam incolæ nominant. Huic itē Præfectum cum Imperio Petrum Ribadeneyrā dedit, qui Ignatij vitā duorum item præpositorum Generalium (qui eius Magistratum proxime exceperūt) Hispanico sermone, Ignatij etiam Latine summa fide elegantiaq; conscripsit. Cæteris item prouincijs ab Ignatio constitutis, recētes socios Præfectos dedit, & aduigilare iussit. Quo factum, vt breui communis res societatis bene sit gesta. Quam recēs natam stirpem, vt olim Ecclesiam, incrementum sumere sanguine irrigatam

tam sociorum voluit Deus. Namque LAYNIS gubernacula mors illustrauit Alfonsi Castri Lusitani, anno post Christum natū 1558. Hic decimo 1558.
ante anno primum Malacæ sacris operari cœpit circiter Kal. Iunias magna neophytorum incolarumq; lætitia. Franciscus Xauerius, qui primus sociorum Euangelium Christi apud Indos, & Iaponios promulgauit, illuc tum inde traijcere parans, commodum appulit, sacrumque Castro concione de superiore loco cohonestauit. Vndecim is post annos Molucensibus in insulis Indiarum Orientis socios pie rexerat; Mauræ dehinc insula, in Irim, Ternatæ finitimam cogitans conscenderat. Ibi à perfidis barbarisq; nautis proditus, captusq; & vinctus Saraceno tyranno, quod Christianus esset & sacerdos, traditur. Quintum iam diem manibus, pedibusq; trunco viridi alligatus sub dio, & soli obiectus iacuit. Deinde per asperas rupes, reuinctis post tergum manibus, raptatus, multisq; vulneribus confossus, in mare deturbatur.

tur. Tertio post die, diuina prouidentia, ad littus cadauer, miro splendore clarum, cum adnatasset, recentiaque vulnera ostendisset, licet æstus Oceani summus ijs in oris exsistat: id sane piæ, innocenterq; actæ vitæ argumẽtum bonis pijsq; fuit, qui mortẽ eius pro eo ac debuerant, luxerunt; quia & barbaris flebilis ea mors accidit, quibus & sanctitatis opinione carus, acceptusque erat. Cædis immanes auctores, percussoresque exitum se dignum repererunt: quippe qui partim pulueris tartarei ictib⁹, partim sacro igne, quẽ S. Antonij appellãt, periere.

Socios in Euangelij apud Indos prædicatione occupatos per epistolam consolatur. CAP. II.

CAstri martyrio inuitatus LAYNES, sociorũ caritate flagrãs, ceteros qui apud Indos peregrinabantur, officij admonẽdos solandosque ratus, Epistolam scripsit, quam propter eos potissimum, qui in eandem à Deo expeditionẽ vocati sunt, hic non ad scribere pigebit.

Etsi

Etsi datis de cōmuni re litteris ad socios, qui cum auctoritate istic præsident, meo defungi munere possem, tamen quia vos, Fratres carissimi, visceribus inscriptos circumfero, animo indulgere meo, dum paucis vobiscum ago, vosq; in Domino hortari simul, & solari placuit: pro quibus preces quotidie socios, non Romæ solum, sed & omnib. in prouincijs Europæ fundere iussi, vt parens ille Deus bonis vos omnibus, ac virtutibus cumulet: conatus quoq; & cogitationes magno Ecclesiæ commodo in maius prouehat, tandemq; ad æternæ beatitudinis portũ decursu per breuis vitæ spatio, perducat, magnum quidem esse Dei in vos beneficium existimandum est, quos in societatem filij sui vocauit: amplius tamen, ac pœne singulariter de ijs socijs meretur, quos istuc ad Euangelij prædicationem, arduam sane ac perdifficilem, barbaras inter gentes, legauit, opibusq; instruxit immensis; quo maior ea Indica expeditio est, & ad plures animorum salus pertinere videtur: idq; magno cum incolarum

larum emolumēto, & vestro. Incolarum quidem, quod non eos solum, qui Christo pridē nomina dederunt in religione maiorū confirmatis (vt in his locis agere cō-sueuimus) & in officio continetis, sed & alios in dies Idolorum Dæmonumq; cultores, atq; mancipia, in veram Christi. libertatem vocantes, hæredes regni cœlestis efficitis cohæredes autem Christi. Vestro item commodo, quod non de omnibus bene mereri tantum istic liceat, hortando, erudiendo, consolando, cæterisq; Christianæ caritatis officijs, verum etiam quod ferre constanter aduersa, atque acerba persecutionū queatis, vt non laborem duntaxat industriamq; ponere, sed sanguinem vitamq; profundere parati sitis, Apostolorum Christi ac discipulorum exemplo, cuius profecto nomen barbaris gentibus importantes eiusdem causa si opus sit, mortem appetere non dubitetis. Quamobrem licet charitas non æmuletur, non desunt tamen socij complures, qui vobis hanc felicitatem, pœne dixerim, inuideant, plurimos itaq;

itaq; sociorum laborum comites, si desiderijs obsecundandum esset, haberetis: tamē submittam in tempore vineæ istius ingentis, & messis albæ operarios selectiores, maximeq; idoneos. Illud affirmare liquido possum, magnam istic vobis materiam, & segetem exercendæ pietatis, ac patientiæ Christianæ in dies nasci in tot tantisq; aduersis, vt fides vestra, velut aurum, quod per ignem probatur, Lydioq; lapide exploratur, persequutionibus nunc probetur. Deum itaq;, si sapitis mente perpetuô, vt præsentem inspectorem, oculisq; gestate: qui vbi humana deficiunt solatia, tum demum suis præsto adesse solet. Deinde illud vobis persuasum cupio, qui animorum istic salutem quæritis, eo vos vberiores in Domino fructus collecturos, quo plus operæ, studijq; in animi integritate, demissione, obedientia, tolerantia, & caritate posueritis. Igitur officij vestri existimate, non solum consolationem socijs, exterisq; in Europa hominibus adferre, sed etiam victa, quā sustinetis, expectatione exemplo

exemplo esse nobis, & emolumento: vt pietatis nos odor afflet, bonamq; nobis existimationem cõciliet. Quare, fratres, hortor, & moneo, vt licet in dies salutis animorum zelũ crescere oporteat, valetudinis tamen ratione habeatis, quo labores quã diutissime, constantissimeq; tolerare possitis. Animo vero præcipua cura adhibẽda, ne socordia, atq; ignauia languescat: quin potius pietatis studium augeatur. Vestri enim esse iuris desijstis, cum votis vos obstrictos in hanc expeditionem, Deo victimam, sponte obtulistis. Quæ cũ ita sint, cautè in gente peruersa ambulandum, ne coinquinemini, censeo: vt licet claustris non conclusi, libero passim, & cœlo, & solo vagemini absq; inspectore, & arbitro societatis, legibus vos tamen solutos non esse existimetis. Timor itaq; Dei, votorumq; religio in officio continere singulos debet: Temporis nonnihil diurnis negotijs eripiendum, tribuẽdumq; more, instituto q; societatis orationi, excutiendaq; conscientiæ in medijs officijs animarũq; curis. Sin præ negotiorum

negotiorum mole non vacat frequenter Deum precari, animum tamen expedit identidem in Deum tollere, præsentemq́ circumferre. Succedant & in precationis aſsiduæ locũ ſpiritus exercitationes, cum per otium cuiq; licuerit: Equidẽ ſic mihi perſuadeo toto anni curriculo, temporis aliquid ſuppetere ijs, qui Gentium conuerſioni dant operam: quo tempore colligere ſeſe commode queant, quæq́ geſſerint, ad vnguem explorare, tum præteritis præſentia componendo. Rationes itaq; vſu, experimentisq́ edocti, nouas excogitare in dies procurandæ Indorum ſalutis aſſueſcant: eas mox ad ſuperiores, quoad eius fieri poteſt, referãt, eorumq́ consilijs pareant, dictoq́ audientes, barbaris hominibus virtutis exemplum præbeant. Quo fiet, vt Deo bene iuuante res omnes vobis ex animi ſententia eueniant. Sic illum vniuerſitatis Moderatorem vobis propitium precor, precaborq́ aſsidue, vt magna in dies virtutum, pietatiſq́ acceſsione, eius præceptis, conſilijsq́ volentes pareatis,

vitaq́ꝫ tandem fruamini ſempiterna. Romæ pridie Id. Septemb. 1558.

Collegia ſociorum in Europa excitata.

CAP. III.

HIc tum erat ſocietatis apud Indos ſtatus, vt ſanguine pertincta humus vberiores iam fructus extulerit: par etiam in Europa incrementum frequenti eorum concurſu qui ſociorum in album adſcribi cupide vellent, vt & domus ampliandæ, & nouæ quærendæ fuerint: ſed hic principum in Hiſpania virorum & ditiorum liberalitas minimè defuit. Initia Collegiorum, ſed paucis colligā. Methymnæ Campi, Oppidum id nūdinis olim, & mercaturis frequens, primum poſt Luſitanos, ſociorum in Hiſpania Collegium ludū literarium
1551. aperuit anno 1551. quod Petrus Seuillanus è ſocietate ſacerdos primus rexit Sexto poſt anno, conſtitutum, reditibusq; auctum Petri Quadrati, & Franciſcæ Manconæ coniugum beneficen-

neficentia. Ille Antuerpiæ Aduaticorum dũ negotiaretur, emporio longe celeberrimo, Ignatium Loyolam Lutetiæ Parisiorum ſtudijs operã dantẽ eleemoſynis benigne iuuerat. Cuius quidem pietatis hunc ſe fructum tuliſſe dicere ſolebat, vt bonis ſuis vti, fruiq; ſocij vellent, atque ali ſuo ære non detrectarent: teſtatus etiam teſtamenti tabulis, Deo ſe Opt. Max. à ſe parta libenter tranſcribere. Murgitanum (Carthagini Spartaniæ vicinum id oppidum eſt) eo ipſo tempore inchoatum, ſumptibus Stephani Almeidæ Carthaginienſis Epiſcopi, ante diem 10. Kal. Septemb. Percommodè verò cecidit, beneq; incolis euenit, ſocios magno reipu. fructu ibi tum receptos. Altero enim poſt anno, corrupti aeris lues vagata, vrbẽ pœne exhauſit: hic ſocij quaſi in vacua veniſſent, (fugientibus ad vnum omnibus metu peſtilentiæ, qui animorũ ſalutem, & ſacra procurabant, parochis) vicatim, vi veneni correptis ægrotis aures dare, & Euchariſtiã porrigere. Idem extra pomœria in tugu-

rijs iacentes ob ſacerdotum inopiam alloquijs ſubleuare. Qua in re fidem, diligentiamque noſtrorum in ægris curandis, nemo deſiderauit. Extincti Collegij Præfectus M. Hotaua, Gaſpar Lopez, & Marcellus ſacerdotes: frater item Petrus Cabrera, Vicecomitis Cabræ filius. Complures præterea peſte infecti tandem Dei benignitate incolumes euaſerunt: qui & bonum cæteris exiſtimationis odorem afflarunt, & ciuitatis bene erga nos animatæ ſtudium auxerunt. Non diſsimilis Placentini Collegij origo fuit à Guterio Caruaialio Epi-
1554. ſcopo anno 1554. Inſtituti, & tertio poſt anno abſoluti. Ocanienſe item Ludouicus Calataiut, Protonotarius, vt vocant, Apoſtolicus, conſtruendum aere ſuo curauit, hortante maxime, qui nondum ſocietati ſe addixerat, Ioanne Ramires Doctore Theologo. Haberi cœptum id Col-
1558. legium à ſocijs anno 1558. quibus præerat Didacus Carrillus. Montillani Collegij par condicio fuit: quod nobiliſsima matrona Catharina Fernã-
dez

dez Corduba, Marchio Priegi, à fundamentis extruendũ ſua pecunia curauit: Franciſci Borgiæ primum vſa conſilijs, anno Christi 1555. in eã ſententiam venerat: quę tertio poſt anno bona LAYNIS venia quod optauerat executa eſt. Alphonſus Lopez primus eam familiam in ſocijs tenuit, vir doctus iuxta ac pius. Vitia quæ hic inueterauerant, ſocijs ſatagẽtibus ſublata: iuuentus eius ditionis optimis, ſimul & literis & moribus exculta, quod adeo gratum Dominæ officium exſtitit, vt ad eius in nos ſtudiũ cumulus nouæ benignitatis acceſſerit, quod poſtea non vnius Collegij, ſed omniũ fere patrociniũ ſuſcepiſſe viſa ſit. Hiſpalenſi quoq; Collegio ædes eo tempore nobilis viri magno precio redemptæ, cũ area, quã noſtri mox habitarunt: quæ olim domus Ducis Medinę cęli fuit: quo loco hodieq; Profeſſorũ domus eſt, templumq; auguſtũ exædificatum viſitur. Abulenſe item per hæc tempora, & natũ, & auctum, adſcito in ſociorum numerum Ludouico Medina, nobili Abulenſi, 1555.

 prudẽn-

prudentia singulari prædito: cuius bonis,& ditiorum aliquot eius oppidi benignitate auctum Collegium: incolis etiam grati animi voluntas creuit. Et hæc quidem Collegia Ignatio adhuc superstite inchoata, Laynis post opera incremētum sumserunt: nunc quæ tum primum ædificari cœpta Collegia recensebo. In
1558. his Toletanum anno fere 1558. initium habuit, quod in Professorum sociorum domum post vertit: cuius loci situm ægre tueri socij, vicinis pugnantibus, potuerunt. AEdes enim Comitis Orgarij erant, natalibus claræ, vt per manus traditum creditur S. Ildefonsi Archiepiscopi, & patroni tutelaris Toletanorum: qui Deiparæ Virginis integritatem scripto defendit. Vtriusque precibus factum existimant, vt loco deiecti socij non sint, litibusque extricati magnos incolis fructus adferant animorum. Belmontanum inchoauit eo ipso anno, pro singulari in societatem studio, eius oppidi dominus Didacus Lopez Paciecus, Marchio Villeuæ:

Villeuæ : Deinde auxerunt hæredes. Ad hoc Gymnasium, tanquam ad mercatum, pietatis simul & litterarum, finitimorum iuuentus frequens confluit, imo & è Bætica. Rexit & hanc domum idem Petrus Seuillanus. Verum perturbatis post rebus, & ædibus ad tectum non perductis, Frãcisca Legionensis, Virgo nobilis, & pia, tandem hæreditate sua Collegium publico commodo constituit. Segobiensis tale ferè, in sequenti anno principium fuit, cum in conductis precio ædibus socij versarentur, sacerdos pius Ludouicus Mendozius Segobiensis, qui Romæ complures annos commoratus Ignatio vsus esset familiariter, captus sociorum studio re bene lauta in partem iuuit, aluitq; socios. Primum ibi socijs pręfuit Ludouicus Satander. Hic concionibus, pijsq; instituti officijs ciuium animos sibi adiunxit, auxitq; numerum, vt aream breui, cui inædificatũ hodie Collegium visitur precio coemerit. Eo ipso tempore & Palentinum Collegium cœpit euocatis so-

cijs, beneficentia matronarum nobiliũ Teresiæ, Quinnones, Comitis Mõtis acui, & Leonoræ Vegæ Ioannis Vegæ sororis (qui consilij Castellæ regni præses fuit :) filij item ipsius Sueri. Socijs primis hic præfuit, vt in Annalibus comperi, Petrus Saabedra.

Collegia item in Italia & Germania constituta.

CAP. IV.

NEque cæteræ hoc bono Prouinciæ perpetuo caruerunt. Foro Liuij enim, quod Italiæ, Cæsenam inter & Fauentiam oppidum est, sociorum sedibus ædem ędificare animum induxit Petrus Aliotus Episcopus ad
1558. annum Christi 1558. Additum id Etruscæ tum prouinciæ Collegium: post loci vicinitatisq; commodo, Insubrum, vulgo Lombardiæ prouinciæ adnumerari cœptum.

In Germania Augustæ Vindelicorum societati, quam vnice complexus est, Otho Truchses Cardinalis, &

lis, & Episcopus illustri loco natus, Collegium construendum curauit anno 1559. Vti tamquam murum hæ- 1559.
reticorum furori, qui iam rerum publicarum pernicie gliscere cœperat, obijceret: nutantesque in auita religione confirmaret; lapsos ad sanam mentem traduceret. Accitus eo nomine Petrus Canisius, Neomagensis, societatis Theologus. Is assidue concionando, hortando, docendo, vsque eo rem Christianam promouit, vt hæresi valere iussa, complures, qui pestiferarum opinionum æstu abrepti præcipitarant, reuocarit. Varijs post tempestatibus, tamquam naui, in amplissima illa Rep. iactati socij, dum nihil intentatum hæretici relinquunt, in omnesque sese vt solent, formas vertunt, quo nostros gradu deijciant, atque deturbent: fixam sedem Dei beneficio tenuerunt. Qua in re & Fuggerorum illustris familiæ fides, diligentia, ac liberalitas enituit. Mo-
nachij etiam, quę summorũ Ducum Ba 1559.
uarię sedes est, Albertus eo ipso anno

 Colle-

Collegium alterum excitare à fundamentis constituit, qui iam Ingolstadiensem Academiam socijs attribuerat, quo sese hæreticorum circũcirca audaciæ, atque calumnijs opponerent. Singulare enim eius familiæ studium in societatẽ semper exstitit; quod & Gulielmus Dux non solum retinuit, sed etiam incredibiliter auxit: præcipua sane in Religionem maiorum propensione, ac zelo ductus; quo & armis, ferroq; lupos, ne in gregem piorum grassentur impune, à finibus arcet. Perspecta itaque pridem Alberto sociorum fide, ac vigilantia, & labore alteras sua manu ad LAYNEM litteras dedit, a. d. V. Kal. Quinctilis, (quę in commentarijs sunt, & in manibus habentur.) & humanitatis refertæ, & honorificæ in socios beneuolentiæ notis aspersæ. Rogat socios plures, tamquam fessis recentes submittat, qui aciem priorum instaurent; hostes verbi Dei gladio ancipiti acriter oppugnent, quà concionando, quà confitentibus aures dando, quà denique hæreticorum tela

tela retorquendo, ac refellēdo. Quin & iuuentutem, Reip. neruos, & seminaria, non litteris duntaxat & disciplinis, sed quod rei caput est, optimis etiam imbuant & moribus, & institutis. Addito ad hæc elogio, in eam se spem venisse, fore, vt aliquando, Deo bene iuuante, sociorum opera, fides, Religioq́ue maiorum apud suos, omnesq́ue adeo Germanos locum tueretur suum, & in pristinum decus reuocaretur.

In Sardiniam socij penetrant.

CAP. V.

DVm hæc in continente geruntur, in Sardiniæ quoque regno insula maris nostri, societatis nomen famaq́; increbuit: quod diuina quadam prouidentia factum arbitror. Alexius enim Fontanus Sardus, domi clarus, & locuples, Quæstor item regius, patrij soli vicē, vitijs abundantis, miseratus, affecta iam ætate moriens testamento legarat bona, quæq́ue ex illis pecuniæ redigi possent,

Saxari, (oppidum id à Saxorum frequentia nuncupatum ferunt) alendis societatis alumnis : quibus socijs vsus pridem erat in Belgio perfamiliariter , inque pietatis studio processus fecerat. Re ad LAYNEM Romam dilata , Francisco Borgiæ, cui tum Hispanica sociorum prouincia commissa esset, per literas negotium dat , binos è socijs in Sardiniam quamprimum allegaret, exploratum , aline illic socij commode possent: tum ecquæ salutis animorum spes affulgeret. Hic Franciscus nihil cunctandum ratus, cum plurimorum salus insulanorum ageretur, extemplo Balthasarum Pinam, & Franciscum Antonium misit. Accepti sacerdotes per humaniter , omnique officiorum genere à Prorege, Episcopis , & Præfectis : quibus etiam litteris socios Ioanna princeps, Philippi Catholici regis soror commendarat , cuius tum absentis nomine Hispaniam administrabat. Templum illis attributum, & ædes, quas

matrona nobilis ſacris velatiſque virginibus deſtinatas, aere ſuo exædificarat, ſed à mercatoribus profanos in vſus precio conductæ ſqualebant. Tertius his comes laborum Petrus Spica, ſocietatis & ille presbyter, commodum acceſſerat; è Belgio delatus, vt patrij cœli ſoliq́ue benignitate, medicis auctoribus, à diuturno lentoq́ue morbo conualeſceret, vireſq́ue reciperet. Hi ſtrenue concionari in templis, foris, cuſtodia, & Xenodochijs, Pueros etiam fidei rudimenta per compita docere. De officijs, nodiſq́ue religionis ſacerdotes publice erudire, vt reatus, noxaſq́ue dijudicare, & lepram à lepra diſcernere aſſueſcerent. Tantus mox finitimorum fama excitorum concurſus exſtitit, vt rerum ſuarum arbitrium omne Patribus, quos ſanctos illi appellabant, ſalua vt religio conſcientiæ eſſet libenter permitterent. Cognito, quod res erat magni inſulanorum intereſſe, complures eo ſocios tanquam

tanquam in coloniam mitti, alios Roma submisit LAYNES: Collegiũ Saxari construi permisit ad annum
1559. Christi 1559. Quinto post anno Calari
1564. etiam condi cœptum, vbi regia est, & Proregis, aulicorumq́; domicilium. Quatuor hodie Collegia, vnum etiã tirocinij domum incolæ numerant, quorum non pauci societati sese aggregarunt, vt prouincia pœne facta sit. Magnus quidem hic à socijs labor in excolenda siluescente vinea susceptus, sed qui vberes mox fructus adferens, precium operæ tulit. Incredibile enim dictu, quot quantaq́; vitia funditus sublata, lumine disciplinarum, quæ, vt solet, inscientia pepererat: dum ab ignaris officiorũ, quamuis graue flagitium religioni minime ducitur. Pulsa itaq; primum, apertis litterarum ludis, barbaries vitiorum seminarium. Insulani cum libris, qui seculis aliquot muti tacuerant, in gratiam redeunt. Noua lux affulgere, & veluti sol exoriri, depulsa à mẽtis oculis densa caligine, videbatur. Sacerdotum ordo restitutus, vt continenter

nenter casteque more maiorum, viuerent; studio sacrarum litterarum, officiorumq; dediti; cęteris pietatis facem præferrent. Philosophi mox, & Theologi è ludis nostris prodierunt; ex alijs etiam Academijs, medicinæ, & iurisperiti cōplures. Sublatæ vsuræ, cōcubitus illiciti, exactæ domo pellices, cædes, periuria interdicta, quod beneficium & grato animo Sardi non inuiti agnoscunt.

Ludouicum Consaluum in Lusitaniam mittit LAYNES.

CAP. VI.

OPtimam esse gubernandi formam, cum penes vnū res summa esset, & ad vnius, cuius ratio constaret, arbitrium omnia referrentur, optimatium tamen consilio temperandam sapientissimi homines iudicarunt. Idem in Ecclesiastica hierarchia verùm esse sanctus, & prudens vir iudicarat Ignatius: qui in constitutionum librum retulit, optimum factum videri Præposito societatis

generali aſſiſtere perpetuo ſingulares, ex omnibus Prouincijs à ſocijs, non ab ipſo, delectos Quatuoruiros; qui tanquam inſpectores in commune conſulerent, quique in laborum partem vocati, leuius imperādi onus efficerent. Solutus hac lege vixit Ignatius: ſiue quod non niſi à morte Conſtitutiones promulgatæ, ac Prouinciarum ſuffragijs comprobatæ; ſiue quod indignum Patribus vitium, his finibus eius auctoritatem circumſcribi, vt alijs rerum geſtarum rationem redderet, qui ſocietatis auctor, & princeps, omni bono de ea meritus, familiam duceret. LAYNI verò, qui primus eas Ignatij leges magno ſociorum commodo Præpoſitus promulgarat, aſſiſtere iuſſi ſunt ſociorum decretis Quatuoruiri: Hieronymus Natalis, Ioānes Polancus, Chriſtophorus Matridius, & Ludouicus Conſaluus de Camera. Hic cuius gratia in hūc ſermonem ingreſſi ſumus, domo Luſitanus, & nobilis, Ioanni principi Luſitaniæ Ioannis Regis III. filio, & Sebaſtiani parenti à ſacris

olim

olim cõfeſſionibus fuit: Regi in primis carus ob ſingulares animi dotes, acceptuſque. Mortem interea loci Ioannes princeps, & poſt longo ſatis interuallo, Rex obijt. Is teſtamẽti tabulis Catharinæ coniugis fidei, Sebaſtianum nepotem commiſit, & adulto regnum hęreditario iure reddere iubet; parens enim Sebaſtiani (quod contra oportuit) morte obita patrem Ioannem anteuerterat. Educationem in primis Rege dignam eidem commendat: Ludouicum Conſaluum, cuius antiquam fidem exploratam haberet, præceptorem morum, & diſciplinarum nepoti, iubet adſciſci. Reſignatis iam teſtamenti tabulis, nihil Catharina duxit antiquius; quam vt Regis voluntatem vltimam exequeretur. Ad LAYNEM Romam litteras dedit: Regis vita functi vltimam voluntatem exponit. Obſecrare itaque Ludouicum Conſaluum in Luſitaniam quamprimum mitteret. LAYNES rem in ſua poteſtate ſitã negat. Prouincialium enim ſibi iuſſu, atque

con-

consensu assistere quatuor viros societatis, in his & Ludouicum. Eorum itaque arbitrio, non suo Roma discedere posse. Ad hæc ardentius Regina: vltimam coniugis volũtatem, ratam esse oportere, religioseq́; seruãdam. Excusationes itaque quas non accipe ret missas faceret. Se familiam Sebastiano nepoti cõstituere nolle, donec Ludouicus, quod quam maturrime fieri cuperet, præsto Olyssipone adesset. Hic LAYNES iterum animi pendẽs æstuabat, quoque se verteret ambigebat: illinc Ignatij decretis parendum & instituto; hinc Regum Lusitaniæ tot tantaq́ue extare in societatem merita, vt iure optimo parentum loco duci debeant. Ad hæc ingrati animi vitium effugiendũ socijs in dies inculcabat. Accessit ad illud honorificum quidem societatis munus videri, liberorum illi regiorum educationem ex testamento cõmendari; at laboris idem plenum fore, atque inuidiæ, animo longe ante prouidebat: quod, vt nunc tempora sunt, principum vitia, expeditiones, euenta, &

tà, & exitus, præceptoribus plerumque, vt Senecæ doctori Neronis scelera, ab aulicis temere tribuantur. Eadem & Ludouico profectionem si salua religione posset, detrectanti, in mentem venerant: Prouinciã arduam illã quidem, sed periculosè plenum opus aleæ, atque calumniæ videri. LAYNES nihil tãdem amplius tergiuersandum ratus, nec inani spe lactare Reginam oportere, litteris respondit, Consaluum ea lege iturum Olyssiponem, vt si prouincialibus socijs, quorum id iudicium esset, probaretur, operam in Sebastiano informando daturus hæreret; sin abiudicarent, obsequendi saltem studium iam perspectum, æqui, boni faceret. Igitur Ludouicus post kalen. Quinct. anni 1559. Roma in viam sese in Lu- 1559.
sitaniam dedit. Olyssiponem simul saluus attigit, purgare se omni ope apud Reginam, & deprecari prouinciam, sed frustra, nitebatur; victus tandem cessit imperijs, munusque strenuè obiuit: optimum Principem optimis pietatis, & litterarum præceptis,

ceptis ad omnem honestatē imbuit. Dei verò cultum, & religionis amorem inseuit. Sed ostensus hic tantum terris Princeps. Iuuenis enim in Africana expeditione, dum Seriphē, Fezzi regē, qui alijs Mahamethus dictus, in regno retinere armis nititur, fortiter pugnās in prælio cecidit: magno sui gēti Lusitanicæ relicto desiderio. Hæc ideo retuli, vt socios honoris, & id genus munera semper defugisse, non affectasse posteritas norit.

Paulo IV. extincto LAYNEM Pontificem creare Cardin. volunt.

CAP. VII.

PRofecto in Lusitaniam Consaluo eo ipso anno a. d. x v. kal. Septembr. Paulus IV. vita simul & Pontificatu decessit. LAYNES Romæ Præpositus generalis docendi munere clarus, & concionibus in ore omnibus erat, & frequens ad illum è Curia hominum concursus fiebat. Cardinalibus conclaui, vt solet, inclusis

clusis, cum variè essent & discrepantes in Pontifice deligendo sententiæ: dumque in vnum conspirare volunt, comitiorum tempus extractum. Igitur vrgente Othone Truchsio Cardinali Augustano ceterisque gregalibus, ad comitia LAYNES tanquam arbiter, qui diuturnam litem sedens dirimeret, accitus, vadimonium sistendum, nihil tale suspicatus, existimauit. Conuentum vix ingresso, ecce tibi purpurati aliquot Patres, summa auctoritate præditi, qui prudētiam hominis, pietatemque cum singulari doctrina coniunctam pridem perspectam haberent, grege facto, capita conferunt, & de Pontifice creando LAYNE, nec opinante (licet Cardinalium collegio non esset adscriptus) raro, & inusitato exemplo, deliberant. Suboluit statim quod res erat LAYNI, quicquid molirentur Patres. Missionem itaque ardenter flagitat, vrgere societatis negotia, quæ prolatari diutius nollet. Extemplo itaque, quasi periculum malumque impen-

impenderet effugit, tanto profecto ſtudio, quãto ambitioſi mortales honores ambire conſueuerunt. Fuga dilapſo illo, in eadem nihilominus ſententia perdurat ſenatus, nunciatumque abſenti eſt, Cardinales duodecim principes, qui Eccleſiæ Catholicæ mores ad priſtinã illam ſeueramque diſciplinam reuocari exoptarẽt, magna conſenſione de eo Pontifice creando ſuffragia tuliſſe. Idem cum poſt illa Franciſcus Varegas, iureconſultus egregius, qui tũ Philippi II. Regis Catholici legatione fungebatur, LAYNI renunciaret, ea verborum grauitate eluſit, vt vel ſermone ipſo honorum contemptum, animiq; demiſſionem, teſtaretur. Nominare poſſum qui id præſentes audierint: quin & Cardinalis ipſe Auguſtanus dum LAYNE poſt vita functo iuſta pro veteri neceſſitudine Auguſtę Vindelicorum more maiorum perſoluit funebri laudatione idem ſanctè confirmauit, ad ſummum ſacerdotium duodecim Cardinales ſuffragia, ſe auctore tuliſſe: ſed fuga dilapſum, ſeſe

ſeſe velut tempeſtati, & naufragio ſubduxiſſe. At quid mirum? nam & Cardinalitium galerum antea deſugiſſe retulimus: qui nimirum dignitatis gradus, vt minor eſt, ita ſalutis æternæ minore periculo geri poteſt. Ille verò, qua erat modeſtia, partim ſilentio rem perpetuo preſſit, partim quaſi ludus fuiſſet, eleuare ſolebat.

Miſsiones & Collegia inſtituta, in his & Romanum.

Cap. VIII.

PAuli Quarti Pontificatum, Pius item Quartus excepit, anno poſt Chriſtum natum, 1560. qui & ipſe op- 1560
time erga ſocietatem animatus, bona ductus exiſtimatione, miſſiones ex eo corpore inſtituere cœpit. Bini ſocij in Hiberniam, Britanniæ vicinam iuſſi proficiſcuntur: qui pios & Catholicæ religionis amantes inſulanos à Britāniæ Reginæ armis atque tyrannide oppreſſos confirmarent: animoſque explorarent, quoſnam potiſſimum creari Epiſcopos è republica

blica esset: denique de omni statu Pontificem certiorem facerent. Bini item in Cypri insulam missi Nicosiam metropolim ingrediuntur, Archiepiscopi precibus vocati: quod Collegium socijs, suorum commodo ædificare vellet. Lustrauit vna cum Archiepiscopo dioecesim sacerdos noster Emmanuel Gomesius, Montis maioris cognomento. Hic assidue concionari Italice, aurésque ritè confitentibus dare, ceteraque societatis officia diligenter exequi; frustra tamen, nullo aut perexiguo laboris fructu, præfractis iam insu-
1570. lanorum animis. Quo factum vt decimo post anno, iusta Dei vindicta à Turcarum tyranno expugnati in hostium potestatem venerint. Ad Epidaurios totidem missi, Italus vnus, & alter item Hispanus. Quæ ciuitas emporio clara, & nauigandi arte hodie nobilis, Ragusa vulgò appellatur. Doctrinæ verò cœlestis indigere videbatur, quod Turcis finitima vectigal pendat. Socios libenter incolæ acceperunt, & humaniter,

niter, vt ſunt morum facilitate ſingulari. Igitur in tanto animorum lucro non fruſtra ſuſcepta profectio eſt. De miſſionibus adhuc egimus: nunc Collegia recenſenda.

Nouocomenſe, in Ciſalpinæ Italorum Galliæ oppido ſitum, hoc 1560.
ipſo anno 60. inchoatum, ſumptus ſuppeditantibus Odoſcalcis principibus in ea vrbe viris. In Etruſca prouincia, quæ hodie Romana, iacta Collegij Maceratenſis fundamenta, ex ærario reipublic. incolis exemplo Patrum excitatis, qui Lauretano proximo Collegio digreſſi, ad vineam illam colēdam acceſſerant, agrumq́; omnem Picenū omnibus officiorum ſocietatis generibus famaq́; complerant. Eandē & in Germania mentem per id tempus DEVS Treuerenſi dedit Archiepiſcopo, vni è ſeptemuiris Cæſaris creandi Electoribus. Socios enim Roma euocandos curauit, qui impios hæreticorum conatus res Chriſtianorum publicas euertendi, ociumq́ue & pacem turbandi ſtudium, pietate ac litteris infringerent.

rent. Igitur Academiam, veterem quidem illam, ſed temporum vitio infrequentem, & ad paucos redactã, ſocietati attribuit vniuerſam: vt ſopitam pridem, ac pæne depoſitã litterarum pietatiſque diſciplinam reuocarent; rudes ad hæc docerent fidei Chriſtianæ ſummam, & populos frequenti ſacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſu, ad priſtinum fidei decus excitarent. Non fefellit Præſulem ſpes: vberes enim, & opinione maiores animorum fructus, iam tum ſocij colligere cœperunt, & in dies referunt. Eo ipſo anno in Luſitania cœpit Collegium Portuenſe: à quo portu Portugaliam nũc nominari Luſitaniæ nomine mutato, memoriæ proditum. Bracarenſe item Barptolemæus, martyrũ cognomento, è familia D. Dominici ſanctitatis opinione clarus atque doctrinæ, ſuo ære extruxit. Brigantinum quoque à Theodoſio Brigantię Duce ædificari, partim ſuorum commodo, partim ſocietatis ſtudio, cœptum. In Orientis Indiam hoc anno profecti ſocij duo

eij duo Andreas Consaluus Methymnensis, & Alphonsus Lopez Nauarrus. In itinere illud ad æternitatem memorabile pietatis exemplum editum. Nauis qua vecti socij, sexcentis quinquaginta pass. millib⁹ à Goa, in vada & breuia impingens, fracta dissilijt. Vectores pœne trecenti exscensione facta in arenam desiliunt. Pauci scaphis salutem quæsierũt, vocatis etiam socijs, & loco dato, vt si salui esse vellent vna Goam peterẽt. At reliquorum clamor & fletus est subsecutus, deseri se queritantium. Indignum itaque socijs visum, caritatis leges violare, & naufragos propediem morituros deserere: quare vitam mortalem tot tantorumque animorum saluti post habendam censuerunt. Morientibus reliquis, opem quoad eius fieri potuit, consolatione Christiana, & pane nautico parce distributo, tulerunt. Postremò & ipsi extincti inedia perierunt. Relatum id à fide dignis, qui tabulis nauis colligatis Goam tandem salui dilati sunt.

Romano etiam Collegio, vnde reliqua omnia propagata esse constat, quod ceterarum Europæ nationum seminarium est, area, & solũ datum, liberalitate matronæ nobilis Victoriæ Tolfiæ, Camilli olim Vrsini Marchionis Guardiæ coniugis. Hæc patrui Pauli IV. Pontif. max. consilio & ope, ædium plurimarũ insulam aere coemptam, virginũ Deo sacratarum cœnobio destinarat. Mutata post voluntate, maius Ecclesiæ commodum spectans, nec opinantibus socijs, Collegio extruendo, sponte donauit suadente, & consilio iuuante Pio IV. qui suæ erga societatem voluntatis, primis pontificatus annis hanc dare cœpit testificationẽ; vt domiciliũ nobis Romæ æterna in vrbe terrarũmque regina assignaretur. Nec illo beneuolentiæ genere contentus, ad Catholicum quoque Hispaniarũ Regem Philippum, datis disertè literis, quæ in manibus sunt, Collegium sociosq; de meliori nota commendauit. Officia conatusq; nostrorũ, quæ pontificia sedes pridem comprobasset, eidem laudat

dat,& vtilitates ꝑdicat. Rogare itaq; comiter illos in regno cõplectatur, quaq́; pietate ceteras piorum hominũ familias soleret Rex verè Catholicus, eadem societatem foueret. Id è re sua fore, orbisq́ue adeo christiani permagni interesse. Morem gessit Rex pius, & qua re cumq; potuit, iuuit perbenigne.

Gonsalui Silueiræ apud Indos martyrium. CAP. IX.

INeunte anno 1560. Gonsaluus Silueira Lusitanus, Comitis Sorrellę filius. Goa soluens, ad regna penetrauit Inambaium, & Manomotapam, non procul à Bonæspei promontorio, Sofalam inter, & Mozambicum sita, vt Euãgelij lucem barbaris Gentibus inferret. Trucidatus tandem crudeliter iussu Regis Manomotapæ, quem fide Christiana imbutum, sacro Baptismatis lauacro, tinxerat. Rem ex Indiarum litteris societatis sic gestam accepimus. Vt primum Inambaium Aethiopiæ vrbem attigit Gonsaluus, vsq; eo ex oculis laborare

1560.

lib. 2. epist. 4. Maffeio interp. & li. 16. hist. Indic. vbi Silueria *nominatum*

cœpit, vt propius factum sit nihil, quam fato ibi concederet. Recreatus tamen à morbo ad vrbem regiam Tongen iter intendit. Ibi Regem vna cum vxore, sorore, liberis, cognatis, regniq́; proceribus, populo deniq́ue, intra paucos dies magna omniũ gratulatione, atque lætitia, sacro fonte lustrauit. Rex Constantini, Regina Catharinæ, soror Elisabethæ nomen adsumpsit. Post ad Senam nauibus delatus, vicũ sane frequẽtem, inde Manomotapam vrbem regiã adijt. Rex confestim cum muneribus, qui inuiserent, misit, auri põdere ingenti, bobusq́; permultis, vt Gentis mos est, & famulatu ad ministeria quotidiana: quippe de Lusitanis, q̃ ibi negotiabantur, iam ante cognouerat, Gõsaluum non modo vitæ sanctitate, sed etiam generis claritate, ac nominis imprimis esse conspicuum. Gonsaluus gratijs actis muneribusq́; repudiatis, per interpretem Antonium Chaiadũ Lusitanum, Regem cogniturum respondit, quod genus auri, quasúe diuitias quæsitũ venisset. Obstupuit ea animi magni-

magnitudine Rex, venientemque ad se, tanta gratulatione, & significatione honoris excipit, quanta neminem vnquam antea. Nam & in ipsa penetralia, quo nulli est aditus, introduxit; & assidente matre assidere sibi iussit. Eidemque iterum munera obtulit, quantum auri, prædiorum, boum deniq; vellet, quos incolæ non minoris, quam aurum ipsum æstimãt, auferret. Cùm nihil se præter ipsum Regem respondisset optare, conuersus ad interpretem Rex: *Profectò necesse est*, inquit, *qui nihil horũ accipiat, quæ à ceteris tantopere adamantur, longo interuallo à reliquis distare mortalibus*. Tum Gonsaluus tabulam Mariæ Virginis depictam, quæ veste latebat Regi donat. Cuius desiderium quo magis exacuat, pręfatur illam esse effigiem matris Dei, cuius in ditione, ac potestate sint omnes Reges, & Imperatores orbis terrarum. Rex imaginem veneratus, in regio cubiculo collocat, ibidemq; quasi sacellũ quoddam precandi causa peristromatis

preciosis exornat. Narrant qui inde venere Lusitani, noctibus deinceps circiter quinq;,reginam cœli,ea ipsa specie, quam tabula ostenderet, diuinam circũfusam luce, suauiq; splendore fulgentem, augustissimo simul, ac iucundissimo aspectu, dormitanti Regi astitisse. Gonsaluum itaque arcessit, ait se mirum in modum angi, quod sermonem reginæ eius, quæ secum singulis noctib⁹ loqueretur,non intelligeret. Cui Gonsaluus eam esse linguam diuinam dixit, quam nemo nosset,nisi qui sacrosanctis eius reginæ filij legibus pareret, quippe qui Deus esset, generisq; totius humani redemptor. Bidui deinde spatio interiecto Rex per Antonium Caiadum Gõsaluo apertè renunciat, certũ esse sibi,matriq;, Christiana sacra suscipere,proinde ad se baptizandum quamprimũ veniret. Gonsaluo tamen dies aliquot supersedere satius visum, dũ Rex Christianæ fidei pręceptis ac rudimentis imbuitur: quibus cum satis iam operam dedisse videretur, quinto circiter, & vigesimo post aduen-

tum

tum die, Gonsaluus Regem simul & matrem non sine solemni pompa & gratulatione baptizat. Regi Sebastiani; Matri, Mariæ nomen est inditum. Eo ipso die Rex Gonsaluo, quoniam aurũ respueret, boues centũ donauit. Ille ad Caiadũ misit, vt in frusta dissecti distribuerẽtur in pauperes. Regem imitati trecẽti ferme è regni pceribus Christo pariter sese addixere. Gonsaluus hic nullũ genus carnis omnino gustauit, cocto dũtaxat milio quodã exiguo, herbisq́; & syluestribus victitans pomis. Iamq́ue spectata vitæ, morumq́; sanctimonia, studioq́; salutis humanæ, tantũ sibi summorũ, infimorumq́; beneuolentiã conciliauerat, tantosq́; in omniũ animis effecerat motus, vt in Christianã religionem vniuersa multitudo videretur incũbere: cũ à Mahometanis quatuor proceribus, & callidis viris, & apud Regẽ gratiosis, Gonsaluo parãtur insidiæ. Ij Regi partim coram ipsi, partim per idoneũ internuncium valde sibi dolere demonstrãt, quod tantum in capitis, regniq́ue discrimen vltro

ſe ipſe demiſerit. Gonſaluum, cui tantũ fidei, & honoris habeat, miſſu Proregis Indiæ, terræque Sofalæ regulorum ad explorandum Regis ſtatum, ſolicitandumque ad defectionem popularium animos aduenisse; vt motibus excitatis ipſi deinde infeſto exercitu ſubſecuti Regem opprimerent. Addunt inſuper fabuloſa portenta; Gonſaluum magum eſſe teterrimum omnium & ſagaciſſimum; varia veneficia ac medicamẽta ſecum attuliſſe ad incolarum animos occupandos, Regemq; mactandum. Quicunq; caput ſuũ aqua perfundi paterentur conceptis præſertim verbis confeſtim volentes, nolentes in eius poteſtatẽ venire. Idipſum alibi contigiſſe: proinde videret etiam atque etiam Rex, quo progrederetur, cui ſe ſuaque crederet. Si Gonſaluum abire permittat incolumem, fore vt ciues mutuis inter ſe cædibus amentes atq; lymphati miſerandũ in modũ graſſentur atq; concurrant. Hiſce alijſq; mendacijs onerato Regi, adoleſcenti pręſertim, ac matri, facilè perſuaſum

eſt, vt

est, vt Gonsaluum primo quoq; tempore interficiendum curarent. Necdum ea cõsilia eruperant, clãdestinis agitata colloquijs, cum ad Antonium Caiadum Gonsaluus: *Haud ignaro,* inquit, *mihi, nec imperato mors instat ab Rege.* Caiado autẽ ita incredibilis visa res; vt subridẽs prorsus negaret. Iamq; dies aduenerat necis, vel vitæ potius: qui dies natalis erat D. Susannæ virginis martyrisque, a.d. 3. Eidus Sextilis anni 1561. Gonsaluus ab Antonio magnopere petit, vt Lusitanos duos, tresúe continuo ad se accersat: *Confeßionem,* inquit, *illorum, tuamque simul excipere, sacraque Eucharistia hodierno die reficere vos omnino constitui: nec enim postea potero.* Facta re diuina, factisque eodem die Christianis circiter quinquaginta, vestem ad corporis cultum, rosaria ad precandum diuisit. Mira vultus hilaritate, animique trãquillitate animabat Lusitanos inscios quid ille conditũ haberet in animo. Ijsdem sacrorum apparatum dat in ædes Antonij deferẽdum. Ipse linteatus cum effigie Christi ad cru- 1561.

cem affixi, domi remansit. Post Caiado; *Antoni, inquit, paratior profecto ad mortem obeundam ego sum, quam ipsimet inimici ad inferendam. Regi autem, & matri libēter ignosco. Mahometanorum quippe artificijs, ac dolis inducti sunt.* Martyriū scilicet pridem exoptarat, dum Bracaræ versaretur, datis ad Godinū societatis sacerdotem litteris, cupere pro Christi nomine multa acerba perpeti, crucis etiā mortē oppetere, testatus. Gōsaluus cum secus diuersoriū in area ad multam noctē, quasi è corporis custodia exire gestiēti mora omnis longa videretur, ita citatis gressibus ambulasset, oculis semper intētis in cœlū, manib' modo sublatis ad sidera, modo crucis in figurā extensis, ducens ex intimo corde suspiria, suū deniq; tuguriū subijt, fusisq; precibus coram Christi signo, quod vnū solatium illi supererat, in arundineū stratū decumbit, & in somnū incidit iustorū. Id ex insidijs conspicati satellites octo circiter illico irrumpunt. Acceptū pedibus, & brachijs, humo tollunt quatuor: duo collo inijciunt finem: quo vtrinque adducto, Gonsaluus expres-

sam

ſam ex ore, naribuſq; magnã ſanguinis copiã effudit, & ſpiritũ ſimul Domino reddidit. Tum verò Chriſti ſimulacro ſacrilegis manibus cõminuto, defuncti corpus reſte ligatũ, attractũmq; interfectores in præterfluentem Monſengeſſem deijciũt: ne videlicet quod Mahometani confinxerãt, cadauer ipſum tam malefici hominis ſub dio relictum veneni ſui tabe cũctos inficeret. Hunc habuit exitũ pia Gonſalui legatio: quo ſublato, Rex eadem ſæuitia percitus, Chriſtianos pariter quinquaginta, quos ille extremo die ſuo pepererat, magiſtri donis exutos iubet occidi. Id ſimulatq; cognitũ eſt, regni proceres, quos encoſes vocãt, rei atrocitate perterriti, conſenſu adeunt Regem, &, *Si hominibus*, inquiunt, *hiſce mors idcirco debetur, quod aquam infundi capitibus ſuis à Gonſaluo permiſerint, eadẽ & omniũ noſtrum, & verò tua quoq; cauſſa, Rex, eſt: omnibus vno, eodemq; læto occumbendũ.* Qua denunciatione repreſſus Regis furor cũ aliquãtulũ reſidiſſet, eũ biduo poſt Luſitani quoq; cõueniunt: docẽt, q̃ graui

 ſcelere

ſcelere ſeſe obligauerit: Terrores inſuper addunt, non Deũ modo indignã innocentiſſimi ſacerdotis necẽ debitis pœnis, ſed etiã homines ipſos, nobiliſſimi viri bello atque armis vlturos. Ad ea Rex diligẽter excuſare ſeſe culpam in ſuaſores, impulſoreſque reijcere: magnũ perpetrati facinoris dolorem oſtendere. Deniq; vt factis verba conſentiãt, è quatuor conſiliarijs duos confeſtim interficit: nam reliqui duo, rem odorati, maturè diffugerãt; ſed Dei nequaquam manus effugere potuiſſe exiſtimandum.

Miſsio Alexandrina ſociorum.

Cap. X.

Alteram in Aegyptũ miſſionem inſtituit Laynes auſpicijs
1561. Pij IV. anno 1561. re tamẽ infecta peruicacia gẽtis. Alexandrin⁹ Patriarcha cum Cophris, ſic enim ſacerdotes appellant, Romam cum litteris Syrum origine, cui Abrahamo nomen, legat: Optare ſe cum ſacrorum ſummo antiſtite Paulo IV. tandem in gratiã redire, quẽ iã agnoſceret Eccleſiæ caput eſſe: rogare itaq; doctores mitteret,

qui

qui dogmata fidei à quibus gens illa ſchiſmate adducta pridem deſciuerat enuclearent, ad concordiamq; reuocarent. Ducere Pontifex id negociũ, diem è die ducendo, quod fraudulẽtæ nationi, toties fide violata, fidendum minus exiſtimaret. Quartus iam annus abierat cum & mors Paulum oppreſsit, & Alexandrinũ negotium diremit. Pio mox ſuffecto, ecce tibi nouæ Alexandria litteræ: vrgent, rogant, efflagitant: Pontifex quo erat propagandæ Eccleſiæ ſtudio (plures enim aberrantes oues Paſtor in viam reducere cupiebat) cenſuit doctores eo rudiũ, & imperitorũ hominum, qui Turcis vectigales eſſent, mittendos. Igitur LAYNI in mãdatis dat, è corpore ſocietatis, quos maxime ad rem idoneos arbitraretur, deligeret; qui & linguarum peritia, & ſacrarũ litterarum cognitione ceteris prȩſtarent, vt gentibus illis errores eripiant, expiatoſque Romanæ Eccleſiæ legitime reſtituant. Electus ad eam expeditionem Chriſtophorus Rodoricius domo Hiſpanus, ſingulari, & prudẽtia & doctrina

doctrina, Ioannes Baptista quoq; Elecenus, pius in primis, & oræ illius, & Arabicæ linguæ gnarus, vsuq; rerum pollens. His se alter Hispanus vltro comitem sacerdotibus dedit. Itaque postridie Cal. Quinctiles in viam se cum Abrahamo Syro dant, Alexandriam versus, vt de his quæ per literas Patriarcha Apostolicam sedem rogarat præsentes agerent: dignum item Patriarchæ pallium sacrū Pontificis munere, offerrent, qui & Legatum Syrum Roma cum donis honorifice dimiserat, quo fide summa suorum ciuium salutem, concordiamque Ecclesiarum promoueret. Multa sane socij terra, marique aspera atque acerba perpessi, Mauros inter, Iudæos, transfugas, & hæreticos summo capitis, libertatisque discrimine iactati. Verum saluti animorum consulentes, corporis valetudinem negligunt: tandem tamen Deo bene iuuante, aduersa constanter tolerantes superant. Alexandriam delati mox Cayrum, sic enim à nauigantibus hodie Europæis appel-

latur

latur vrbs, quæ olim Memphis Aegypti veteribus dicta. Vltra hanc dierũ aliquot itinere Patriarchã in eremo S. Antonij repertum salutant: litteras à Pontifice Pio muneraq; offerunt: cum ecce tibi, incertum an mutata in deterius sententia, siue, vt affirmabat, quod nihil tale per legatũ postulasset, res corrupta lõge aliter cecidit. Nunquã enim impetrari ab illo potuit vt errores, palinodia adhibita, abiuraret, cum Ecclesia Romana in gratiam rediret, summumq; Pontificẽ Christianæ Ecclesiæ caput agnosceret. Disputatũ in vtramq; partẽ acriter. Sacerdos ostendit orientis Oecumenica Concilia, Græcosq; adeo Patres ad vnũ omnes à nobis stare, illũ causa cadere, & damnari schismata. Errorum itaq; cõuictus ad artes confugit, partim obmutescẽs, partim defugiẽs. Igitur nihil ab imperito homine, & pertinaci, vt gentis est mos, extorqueri, errorue eripi potuit. Fidem itaque habere recusauit socijs, durus homo, qui salutis gentis illius quærendæ gratia, tam longinquum iter

summo

ſummo vitæ diſcrimine obiuiſſent. Quamuis autem ſocietatis ea miſsio Patriarchæ, extra munera, quæ auare retinuit, commodi nihil attulerit, ſalutaris tamen ſocijs, & incolis extitit: illis quidem, quod laborem ſuſceptum, re infecta, ratum Deus habuerit: His vero, quod per confeſsionem plerique Chriſtiani rite expiati, quod rarius in Aegypto accidit, Euchariſtię myſterijs expleti vitam reducto curſu mutarint in melius. Sacerdotes item aliquot Græci Romanæ ſedis auctoritatem legitime confeſsi ſocios admirabantur, nihil illos, dum confitentibus aures darent, accipere aut velle, aut poſſe: contra atque illi, cum pro rata confeſsi delicti parte mercedem exigere ſolerent.

Collegijs iterum ſocietas aucta & Prouincijs.

CAP. XI.

1561. TIronum ſocietatis tam frequẽs numerus erat, vt ad annũ hunc milleſimum quingenteſimum, & ſexageſimum primum Collegia plura fuerint

fuerint instruenda, atque adeo Prouinciæ diuidendæ. In Germania Moguntiacense institutũ sumptibus Archiepiscopi vnius è semptemuiris Imperij, qui Academiam, collapsaq; pridem sacrarum literarum studia socijs mandauit ad profligandas recentes, ac deprauatas Hæreticorum opiniones, iuuentutem quoque optimis & moribus, & sententijs imbui optimus Antistes iussit. Neapolitano in regno Nolæ institutum socijs tironib. Collegium à nobili eius oppidi domina coempto aere suo Comitum Nolanorum palatio. In Hispania Conchēse octauo quidem ante cœptum anno 1558.
(Paucos enim socios auitos educabāt Alphonsus Ramires, & Petrus Puteanus, Ecclesię illius canonici) Formam tamen Collegij hoc anno primum accepit, Hieronymi Natalis, cui Hispanam sociorum Prouinciā LAYNES commiserat, auctoritate: exædificante, sumptusq; suppeditāte Petro Marquina: quo vita functo, cognatus Lupius Marquina, vt bonorum sic & singularis erga societatem beneuolentiæ

tiæ hæres annuis auxit reditibus. Villaregij item domini, qui vicus Fontis cognomen inuenit, Ioannes Paciecus Siluius, & Hieronyma Mendoza coniuges ſocijs agros attribuunt, alendis tironibus. Eam in ſequenti anno donationem idem Natalis ratã habuit. Templum mox, ædeſque adiecere. Par etiam beneficentia nobilium virginum fuit, Ioannæ Sunigæ, ſororis Hieronymæ: Petronillæ item, & Ioannæ Caſtellæ ſororum. Hic tirocinium Prouinciales ſocij bene ponunt, vt pietatis aſceticis abunde exercitati è tenebris atque vmbra, in lucem ſolemque ſtudiorum officiorumque prodire tandem audeant. Madritanum Collegium per idem tempus inchoatum, quod eo Pintia Vaccæorum domicilium Philippus Rex verè Catholicus, regiamque traduxiſſet. Igitur è rep. viſum ſocios aulicis quoque, & variarum nationum inquilinis, quà confitendo, quà concionando, operam pie nauare. Aream itaque magno ære coemit, in qua hodie Collegium viſitur, matrona pia

na pia iuxta ac nobilis, quæ Philippum olim puerum educarat Leonora Maſcarenias. At non defuere (vt in piarum originibus rerum) æmuli, qui & ſitum nobis inuiderent, & ludum erudiendæ iuuentutis, aperiri gratuito vetarent: quæ res tamen per ſe, vt honeſtiſsima, ſic & rebus pernecesſaria communibus iudicatur. Tempus vero, eiuſque filia veritas, rupis inſtar, ictus aduerſariorum tandem retudit, atque infregit. Sedes Villimarenſis in ſuburbio pœne Burgenſi, hoc ipſo tempore accepta eſt referenda docto viro, beneq; de ſocietate merito Benedicto Vguceioni Florentino patre nato, Burgenſis Eccleſiæ Canonico, Collegiorum numero creuerat & Prouinciarum adminiſtrandarum labor, vt ab vno obiri commode non poſſent. Laborem itaque minuere, Prouinciaſque diuidere LAYNES conſtituit. Igitur ex vtroque Caſtellæ regno duæ item ſociorum Prouinciæ factæ. Caſtellæ, vt vocant, veteri idem Natalis (qui

LAY-

Laynis auctoritate lustrare in Hispania sociorũ Collegia iussus erat) Præfectum dedit Ioannem Valdezauanum: Toletanæ vero Prouinciæ Ioannem Suares præfecit. Antonio Araozio, qui vtramq́ue ad illud tempus Prouinciã moderatus erat Hispaniarum cõmissa est Prouincia vniuersa, Francisco enim Borgiæ succenturiatus, qui Romam à Pio IV. Pont. Max. euocatus discesserat, administrauit.

Magistratu sese abdicare nititur Laynes.

Cap. XII.

TRiennium iã abierat cum Laynes priuatæ vitæ, qua erat animi demissione amantior, se cogitat abdicare. Cõuentu enim socio-
1558. rum anno 1558. habito quo Præpositus omnium suffragijs renunciatus erat, deliberandum Pontifex Paulus IV. censuerat, viderẽt etiam atque etiam Patres vtrum è re societatis publica magis videretur, Præpositi ne generalis perpetuum esse munus, an aliquot annorum curriculo circumscribi, alterumq́ue continuo subrogari.

Misso

Miſso itaq; Petro Pacieco Cardinali Hiſpano, & animum tandem inclinare ſignificat, vt bona cum venia ſua ex Ignatij decreto perpetuum illud munus eſſet. Sic creatus LAYNES eſt. Dubitauit denuo Pontifex, cœtuque ſociorum iterum coacto, req; in controuerſiam vocata, & precibus aſsiduis, ſacriſque Deo commendata, in eam omnes ſententiam ſumma animorum conſenſione veniunt, atque ſubſcribũt ad vnum omnes LAYNE excepto (ne retinere magiſtratũ velle, Præpoſitus cum eſſet, videretur) Ignatij decretum de perpetuo Præpoſiti generalis magiſtratu retinendum videri: oblato etiam hac de re Pontifici libello, quo rationum hæc fere momenta collegerant: hanc Deũ mentem Ignatio in legibus ferendis dediſſe, tale vt decretum faceret de perpetuo illo ſummoq; magiſtratu, idq; incredibili conſenſu Patrum qui frequentes ea de re conſultarãt, Idẽ iure conſultis viſum, idem religioſarum familiarum auctoribus placuiſſe: idem à ſapientiſsimis philoſophis tutiſsi-

tutiſsimum gubernandi genus iudicari. Conſtantem firmamq́; eam reip. adminiſtrandæ formã eſſe, cum ad vnum omnia referrentur, & vni ratio rerum geſtarum perpetuo conſtaret. Reges ad hæc, & Principes, hæreditario etiam iure, non arbitrario melius imperare. Epiſcopos quoq; & id genus dignitates nõ niſi morte obita honores deponere. Quin & Pontificis ſummã dignitatẽ perpetuam rectius geri. Ad hæc cõmodum id ſocietati fore vt omnes melius noſcat, rerumq́; vſu, & experimentis auctoritateq́; polleat. Seuerius quoq; diſciplinã ſeruari poſſe perpetuo vnius magiſtratu. Fore item vt à ſocietate profligentur ciuitatum omniũ peſtes, ambitio, prenſandi ſtudiũ in candidatis, factiones deniq; ac ſeditiones. Dehinc ſumptus, labores, & pericula itinerũ, ſi perpetua nõ annua ſit dignitas, ſocietati minuentur. Perſtitit tamen Pontifex in ſententia, & vocis oraculo pronũciauit placere ſibi, vt tertio quoq; anno comitia ſocij delegendo Præpoſito generali haberent: & ſi ita videretur com-

tur communi omnium consensione retinere magistratum, non abdicare, iuberetur. Paul⁹ insequētis anni mēse sextili exeunte discessit è vita. Dubitatū itaq; valeret ne voce tantum negotium hoc socijs datum, vt triennio quoq; conuentū agerent. Respondent iuris bene periti, & Cardinalium doctissimi, quādo Pontificis responsum tabulis non esset, aut diplomate consignatū, nullum adferre præiudiciū: valere interim Ignatij de perpetua cōmunis societatis Præpositi dignitate Decretum, ceterasq; leges cōstitutas, & promulgatas, quod tabulis consignatæ essent, & à Pontificibus, imo & ab ipso Paulo subscribendo confirmatæ circumferrentur LAYNES nihilominus, religione tactus, omnino abdicare se magistratu, & ad conuentum ea de causa Prouinciales socios aggregare constituit. Re itaque ad sacerdotem, qui aures rite confitenti dabat, mature delata, vetat ille, ne quid noui tentaret, inscijs, qui assisterēt Patribus, & quorū arbitrio recte adhuc societatē moderaretur.

raretur. Hi ſimiliter conſulti magno diſſuadent opere, ne ſocietatem nouarum rerum ſtudio turbaret. Ignatij Decretum de magiſtratu illo ſummo non deponendo, religioſe ſeruandum, cum illius auctoritate, tum quod vna cum cæteris legibus Pontifices pridem citra exceptionem confirmaſſent. Ad conuentum vocare ſocios, non, niſi vrgente neceſsitate per leges licere: ſumptibus enim non neceſſarijs prouincias minime eſſe onerandas. Ad hæc patefactum in feneſtram alijs, qui poſt ſequerentur, vt idem auderent. Quotus enim quiſq; vitæ innocentia præditus non præferat magiſtratui vitam priuatam, & ociosam. Ne his quidem ſententijs Iureconſultorum Patrumque iudicio, LAYNES acquieuit, ſed ſingulari animi demiſsione, ſe ipſe ad vnguem explorans, indignum ſe ratus, nec ſatis idoneum qui clauum teneret, alterum cui adminiſtrãdæ ſocietatis munus traderet, dari optabat. Quamobrem ad vniuerſum tandem ſocietatis corpus referre votũ placuit. Ad Prouinciales

uinciales itaque Europæ, & Professos sacerdotes literas dedit: triennium iam effluxisse, & diem cessisse: rogare aliũ indigno sibi sufficiant, munusq; regendæ societatis vniuersæ, alteri tradant. Rationes etiam causasq; candide subiecit. Respondent vno ore omnes, pergeret porro rectum clauum tenere: onusq; ne detrectaret: interesse enim societati videri. At stimulabat hominem Pauli IV. vox, donec Assistentes Pium IV. supplices rogant, vellet iuberetque, LAYNEM Præpositi societatis munus bono publico nõ detrectare. Religione vero qua obstrictus Pauli Pont. verbis teneretur, liberaret, scrupulumq; eximeret. Ille vero ac libẽter: irritumq; dictum interpretatur: Ignatij decretum de perpetuo Præpositi generalis magistratu sartum tectum seruari viuæ vocis oraculo iubet, fidem tunc appellauit, & testimonium præsentis Hippolyti Cardinalis Ferrariensis & Apostolicæ sedis legati. Huic vni auctoritati cedẽs LAYNES, moderare societatem perrexit.

IACOBI LAYNIS

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Proximi.

LIBER TERTIVS.

In Galliam à Pio mittitur LAYNES.

CAP. I.



Egatum ea tempestate Pius IV. in Galliã mittere cõstituit Hippolytum Cardinalem Ferrariensem, qui ob singularem prudẽtiam, natalium splendorem, & Gallicæ in Italia gentis patrocinium, Carolo regi eius nominis nono. Matrique Catharinæ Medicæ, iuxta carus, acceptusq; erat, quo natum istic bellum intestinum, & Caluinianæ labis incendium initio pius parens pro virili restingueret. Comitem

mitem Cardinali qui Hæreticorum calumnias, cum res daret refelleret LAYNEM Theologum egregiũ addidit. Roma digrediuntur Cal. circiter Quinct anni 1561 licet cœli æstus, annique hora à profectione deterrere quietemq; flagitare videretur. LAYNES, ad hoc quod cœlestium flagraret amore, in Italiæ oppidis qua iter haberet frequenter concionabatur, eo labore, itinerumq; & æstus incommodis Ferrariæ grauem in morbum ad medicorum desperationem incidit. Mox DEO bene iuuante, confirmata statim valetudine, Galliam cum Hippolyto saluus incolumisq; ingreditur. Regina tũ, Caroli Regis, cuius tutelam gerebat, auspicijs, adconuentum Proceres Galliæ Posiacum, non procul à Diui Germani vocarat, vt de pace positis armis ciuilibus, deq; religione maiorum, illic retinenda agerẽt. Venire eodem (quis credat) nobilium quorundam factione, atque præsidio è Gebennicis ausi Theodorus Beza Gallus, & Petrus Martyr Italus, cęteriq; pestilentis ca- 1561.

 thedrae

thedræ miniſtri, quod quidem de religione colloquium Poſsiacenſe, poſt hominum memoriam pernicioſiſsimum, vt iam tum LAYNES animo prouiſum prædixit. Seminarium extitiſſe ſeditionum bellorumq́; ciuilium, & Sectarum quæ ad hanc diem, diſſeminatæ, regnum cætera florẽtiſſimũ, & pietate olim Chriſtiana, clariſsimum, tantum non funditus euerterunt; prudentes homines obſeruarunt. Magnum ſane LAYNI pijsq́ue omnibus is conuentus dolorem attulit, vt temperare ſibi non potuerit, quin bona reginæ venia, animi ſenſum atque mœrorem, habita hac Italico ſermone vehementi atque diſerta oratione, publice teſtaretur, *ſi ea duntaxat ſereniſsima Regina, hoc conuentu agerentur, quæ Gallici regni propria, ad reliquos nihil attineret, & ad Reip. regniq́; adminiſtrationem tantum ſpectarent. ſilentium equidem mihi libens indixiſſem. Platonis conſilium ſecutus. Quo exterum ac peregrinum hominem in aliena Rep. vetat eſſe curioſum.*

suim. Neq; Hispanus de Gallicis rebus iudicare auderem, in tanta Principum, & Episcoporum, doctissimorumq; hominum quos huc confluxisse video, corona, nisi enim ineptus atq; imprudens rerum haberi vellem. Verum enimuero cum in præsens videam, de religione maiorum ac fide (quæ vna omnium gentium est, & Catholica, & Romana, ideoq; ad omnes orbis terrarum incolas, & Regna ex æquo pertinet) de communi profecto omnium causa agitur: & officium est filij non ingrati, Matri laboranti Ecclesiæ Catholicæ omni ope præsidioq; succurrere. Quamobrem me, vt arbitror, hodierno die, nemo, iure exterum licet hominem reprehendet, qui communem omnium Christianorum causam pro virili defendendam suscepi, vt enim nullus est apud Deum personarum respectus, sic & in sponsa eius ecclesia, nullum discrimen Græci aut Hebræi, Itali, aut Hispani, Indi, aut Europæi, equidem serenissima regina, & vsu rerum & varia librorum, potissimum vero sacræ scripturæ lectione

 comperi,

cõperi, periculosæ plenum esse opus aleæ & damno obnoxium, cum ijs colloqui vel auscultare, qui ab Ecclesiæ Catholicæ matris nostræ gremio sponte exciderunt & depravatarum sese opinionũ laqueis vltro induerũt, ac veluti transfugæ à religione maiorum desciuerunt. Nec enim temere illos in sacris literis diuinus spiritus passim, nunc serpentes, nunc lupos, interdum vulpes, nonnunquam & feras appellare consueuit. Serpentes quidem, qui visu enecant, & euomunt venena, lupos item rapaces in vestimentis ouium obambulantes vt dominicũ gregem dissipent, atq; dilanient. Vulpes astutas quæ Vineam domini suffodiant. Belluas denique crudelitate immanes, quæ partim vi partim dolo, malisq; artibus, Dei domum euertere nituntur. Hinc scriptura

Eccl.12. ait: Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiãt bestijs. Quæ cum ita sint duplex mihi in his malis consilium atq; remedium publice profuturum, venit in mentem, certum alterum, alterum non perinde tu-

tum, in vtroq; vero illud persuasum cupiam, neq; tibi Regina, neq; Principi seculi huius, fas esse, fidei res controuersiasq; tractare: id enim, potestatis à Deo illis commissæ fines excedit, qui regnorũ Prouinciarumq; administratione, ius suum cuiq; ex æquo & bono tribuendo continentur. Sacerdotum nimirum id munus, Episcoporum id officium est, Fidei causas controuersiasq; disceptare, legem diuinam interpretari ac diiudicare. Cumq; res ardua per se, difficilisq; periculiq; plena sit, Fidei Religionisq; censora, ad Pont. Max. Ecclesiæ caput, & generale concilium, quale nuper Tridenti, cogi cœpit, dubia & controuersa de quibus ambigitur, omnium seculorum ætatibus referri, & debent, & solent. Et vero in Basiliensi concilio cautum fuisse accepimus, ne dum generale cõcilium cogitur, sex ante mensibus in Prouincijs priuatæ synodi, conuentusq; agantur. Optimum itaq; factum, si qui forte (vt esse inuitus animaduerti) in Galliæ regno deprauatarum opinionum zizania, in Sess. 15.

agro Domini disseminare temere audēt, aliudq; Euangelium promulgant contra scriptum & traditum Dei verbum, præter Apostolorum doctrinam, & contra sanctissimorum hominum sensum, auctoritatemq; scripturam recte interpretantium, ij Tridentum ad conciliū, pridē indictum & nunc instauratum, tanquā ad legitimum tribunal mittantur. Illuc enim doctorū hominum, totius Europæ flos, Episcoporum, Theologorum, & iureconsultorū, veluti in Panegyrim confluit, &, quod rei caput est, Spiritus sanctus præsto Concilijs adesse, sanamq; patribus aggregatis doctrinæ veritatē suggerere, consueuit. Pōtifex, ne quid dubitent, cōmeatum illis, fidemq; publicā, vt tutis illis Tridenti esse liceat, dabit. Illic discent, quæ ignorant: Error eripietur, nisi pertinaces resistant veritati, lumenq; cæci reijciant. Alterum vero non perinde tutum remedium tollendo ex agro Domini hæreticorum lolio, videtur, vt si Tridentum proficisci recusent, forumq; defugiant, ad Episcopos Galliæ mittas, qui, adhibi-

hibitis Theologorū doctißimis, docebūt, quæ vera sit Ecclesiæ fides, quæ auctoritas scripturæ: nullis tamen admißis, ad hanc disputationem præter quam Ecclesiasticis: ne vt fieri amat, imperitum vulgus venenū audiendo citius bibat, quam remedium. Cancer enim hæreticorū semper serpit: Quos quidem Episcopos si audire detrectant dic Ecclesiæ: quam si non audiunt, sint tibi veluti Ethnici, & publicani. Hæc si seruare velis, (velle autem debes) magna te molestia liberabis, & Galliæ regno olim florētißimo, regū Christianißimorū exemplo, optime consules.
Causa iam perorata, ad hæreticorum fallaces captiūculas, quibus imperitæ plebis animos inescare, atq; irretire solent, diluendas, curā, cogitationemq́; conuertit. Vnum de multis argumentis acute ab illo, & perspicue cōclusum adferā. Asserere enim ausi sectarij, si Missa, cruēti illius in cruce sacrificij figura esset, in hostia simul figuratum Christū esse minime posse. Sophisticā hanc captionē apta similitudine sic elusit, ac refellit LAYNES

Rex potentissimus ditionis suæ vrbē obsidio cinctā, collecta manu fusis hostium fugatisq́; copijs liberat, victor, & triumphans ingreditur. Liberos ciues campo frui promittit, non alia mercede, quā, vt quotannis frequens eius victoria memoria exstet: quæ triplici ratione celebrari potest: vel assidua prædicatione ad posteros transmissa, seu historiarū monumētis memoriæ prodita: vel ludis, & imagine belli, quam identidem milites, ducesq́; representent: vel deniq; quæ ratio cæteris longe præstabilior, celebriorque videtur, si Rex ipse præsens ludos, imaginemq́; partæ à se nuper victoriæ exhibeat, spectandamq́; ostendat ciuibus. Idem profecto in Missæ incruento sacrificio vsu venit: Memoriam enim mortis Christi, crucis ac cruciatuum exhibemus, quibus hominem in libertatem asseruit Deus, ac dæmonem generis humani hostē victum superauit: qui princeps huius seculi mūdum cinxerat, in suamq́; potestatem pæne redegerat. Christum quoq; saluatorem constat, vt hostiam viuam, & propitia-

pitiationem pro delictis hominum Deo patri à sacerdotibus quotidie iā inde ab initio nascentis Ecclesiæ, reuera offerri solere. Profligata iā de Fide quæstione reges iterum allocutus LAYNES, serio hortatur ne posthac huiusmodi sectariorũ colloquia, reip. perniciosa, patiantur: non enim iudices illos à Deo religionis constitutos, sed Episcopos, sed Ecclesiam, eiusq́; caput Pontificem maximum. Periculosam item, ideoq́; interdictam iam inde à Theodosio Imperatore pio, cum hæreticis disputationẽ, atq; colloquiũ: deuitanda itaque, & fugienda. Ad hæc vna fide Catholica, regna atq; imperia in officio contineri, iusq́ue recte administrari: Catholicos Principibus dicto audientes obtemperare: hæreticos contra factionibus atque seditionibus, optime constitutas respub. euertere. Eius rei si exempla requirerent (ne lõgius abirẽt, memoriáq́; annaliũ replicare vltimã necesse esset) finitimarũ Germaniæ gentiũ exẽplo docti saperent. Si forte regnandi cu-

piditate Dei causam negligerent, fidemq; maiorum, vt plus ęquo Politismo dediti solent, desererēt, etiā atq; etiam viderēt, ne regno quoque ipso aliquando exciderent: quod Religio Christiana, atque catholica norma sit, & regula legum, regnorum, pacisque publicæ. Vehementi hac oratione, firmisq; lateribus LAYNES, frequenter etiam, iterare: fusis interdū in dicendo lacrymis, quas & auditoribus excuteret. Reges consilium secuti, hæreticorum id genus conuenticula, legibus prohibēt: tametsi non deessent iam tum ea tempestate politiæ, quam Christi studiosiores, qui potestatē sectariis concionandi incauti faciendam iactarent; hoc colore: nimirum vt semel virus omne euomerent: mox veram doctrinam Catholicorum cōmodis haustūri. Quasi vero nō pręfracti illi pertinacius obdurēt, aliosq; auditi in perniciem adducant. Rogatus itaq; nō raro à Principib. viris, hisce vt colloquiis interesse ne grauaretur, & cōcionibus, quo refelleret prōptius; à se nō est passus impetrari.
quod

quod veri Catholici officium esse negaret, sermonem cum illis habere communem, ne aue quidem illis, si obdurarent esse dicendum.

Lutetiæ Parisiorum quæ gesserit.

CAP. II.

LVtetiam inde profectus, pijs vt animos adderet in religione maiorum retinenda, misso omni nouarum rerum studio, concionatus crebro est Italico sermone Aduétus tempore anni 1561. in D. Augustini æde: quæ res publicè Catholicis, qui frequentes aderant, confirmandis, hæreticis verò, qui primum irridendi gratia accesserant, in viam reuocandis vtilis fuit: magna est enim in omnem partem veritatis vis. Gallice item in virginum Deo cōsacratarum templis disseruit, tametsi linguæ illius nō satis peritus, pertinaci tamen studio, iuuandæ Ecclesiæ zelo adductus, euicit, didicitq́;. Controuersias illic, & quæ ab hæreticis in dubiū vocari solēt exponere, piosq́; cōfirmare

cœpit. Ad fructus dignos pęnitentię, omnes hortari, precationemque assiduam, quæ iratum Deum placaret, auerteretque ciuilium bellorum, sectarumque nascentium flagella, merito nostro immissa. Religiosorum hominum familias lustrare, præpositos appellare: rogare, quà vita, quà doctrina ciuibus præirēt, & precibus fusis pęnitentiaque Deum propitium reddere conarentur; collegia ad hęc, vt sunt Lutetiæ quamplurima, obire diligenter. His qui regerent, quatuor potissimū in mandatis dare. Primum ne quem adolescentem, doctoremúe moribus infamem domi paterentur; De hinc ne quem discipulorum conciones hæreticorum audire sinerent. Tertio, si quē hæretica labe infectum nossent, ijsdem in ædibus degere non sinerent. Denique vt sacras quotidie preces funderent, Deum precati pro felici Gallici regni statu. Ecclesiastas quoq; precipui nominis hortabatur in Domino, verbi Dei gladio fortiter pugnarent, sectariorumq; vt cœperant causam iugularent; modera-

tionem

tionem tamen adhiberent, prudentiamque afferrent in concionem; ne tanquam seditiosi homines hæreticorum more male audirent. Idem Sorbonici gymnasij, lōge disciplinis ingenijsq; clarissimi doctoribus consilium dedit, difficillimis illis temporibus talētum à Deo creditum humi ne defoderent: Parochis auctor fuit, ignauia ne languescerent, aut stertèrent; sed vt canes pro domo Dei latrarent, lupos à grege arcerent, ne bonam causam præuaricando, aut tacendo deseruisse viderentur. Darent operam, vt crimine vacarent, potissimum verò libidinis, atque auaritiæ: quę duę vitiorum pestes sacris hominibus summa adferre dedecus soleāt. Senatores item, vrbisque Præfectum inuisere: hortari in religione maiorum, iureque administrādo constantiam adhiberent, & si saluā rempubl vellent, eos, qui Catholicam fidem tuerentur, omni ope, præsidioque iuuarent. Hostes non metuere, licet armati obambularent, & gladium iugulo intētarent. Pedibus etiam sæpe

nocte

nocte media iter facere per syluas au-
sus, admirāti Polanco itineris comi-
ti, quod pericula non defugeret, recti
conscientia fretus, subridens respon-
dit: *Pius*, inquit, *mortem non timet, quin exoptat potius. Na ille igitur felix, cui pro Dei causa mortem fortiter oppetere datur.*

Lugdunum socios retinendæ religionis maiorum gratia mittit.

CAP. III.

NOn disputationibus tātum gesta res, sed & ferro, armisque grassati hæretici, pios incautos, ac meticulosos opprimere cæperāt; nihil nō aggredi, vt religionem maiorum, pacem, remq́; publ. vexarent, &, si possent euerterent. LAYNES malo nascēti, pro viribus occurrēdū ratus, ne, si inualesceret, tolli, vt solet, ægre posset; huc cogitationes omnes retulit, pijs vt in Gallia laborantibus ne deesset. Collegia itaque Galliæ, tenui licet origine, publici tamē commodi gratia, vltro admisit. Deo, cu-

ius res

ius res ageretur, cętera, quæ ad victū, cultumque corporis pertinerent, curæ fore; qui suos pascit perbenigne. Serpere iam latius malum hoc cœpeperat, eaq; loca Gebennitis finitima (è qua veluti lerna malū omne propagatum) armis occupare tentarunt, quando argumētis captiosis res è sententia non processisset: armis etiam victi ad inferorum artes, pestes atque venena cōfugiunt. Anno itaque 1562. Galliam ita vastarunt sectarij, vt vrbibus, pagisque ex insidijs captis, expilarint, incēderint, trucidarint, vastarintque omnia: templa profanata, Monasteria etiam solo æquata. Horret animus meminisse, non modo referre, quæ flagitia patrare tunc ausi homines perditissimi & profligati. Missi itaque à LAYNE Lugdunum Segusianorum, emporium Galliæ frequens, Rhodano flumini adiacēs, socij duo, Emundus Augerius, homo Gallus, & Antonius Posseuinus Italus: quorum opera, diligentiaque, labente, ac pene ruente republ. Religio maiorum stetit, ac restitit perduellium

lium furori, rem vt gesta est eo consilio libentius referã, vt si nostra tempestate tumultus, cædes, bellaq́; intestina orta sunt, nihil noui accidere existimemus. Is enim historiarũ fructus est vberrimus, vt præteritarũ rerum memoriã, cum præsentib' componentes, solari nos ipsi in aduersis possimus: neq; si male nũc, & olim sic fore. nec enim abbreuiata Dei man', vt qui tum Ecclesiã, quã perpetuo defensurũ se ꝓmisit, liberauit, deinceps tueri nõ possit, aut velit: sed hoc agamus. Perduelliũ, factiosorumq́; hominũ maior tum Lugduni numerus, q̃ Catholicorum fuit. Socij tamẽ assidue concionãdo, hortandoq́; pijs animos addere, ac cõfirmare; deiq́; præsidio tuti, media inter hostiũ tela iugulis intenta, ambulabãt: moleste id ferre aduersarij, furijsq́; agitati, mortem nõ minitari solũ, sed moliri etiã conati. Tumultu tandem ciuili victi pij ciues vrbe exacti sunt: bonisque exuti, exiliũ sibi indixerunt. Socij ad necem quęsiti, nobiliũ aliquot, bonorumq́; opera salutem fuga repererũt.

Emun-

Emundus Valentiã Cauarum se recepit: quę vrbs & ipsa Rhodano imminet, Lugdunum inter, & Auenionem sita. hanc etiam vallo, fossaq́; cinxerunt hæretici: Emundo concionante post nõ diu proditione vrbs occupata, in hostium venit potestatem. Præfectum vrbis virũ nobilem iuxta, ac pium, Moreclodrini nomine, ex equestri S. Michaelis ordine, è domus fenestra strangulatũ immanes illi, cum insignibus suspendunt. Emundũ captum in custodia habent: crux iam suspendio figitur: ecce tibi minister cathedrę pestilentis, ducẽ perduellium rogat, vitam Emundo largiatur, magnæ vt affirmat spei iuueni, magnoq́; vsui Synagogæ futuro, si ad suas partes, sectamq́; hortante illo transiret. Sic laqueũ Augerius effugit, & equo nobilis viri fuga dilapsus sibi consuluit, Lugdunum mox reuertit: quæ vrbs pactis cum Rege Carolo inducijs, armis positis Regi tum parebat: maior tamen, vt sectariorum adhuc copia esset. Emundus vitæ prodigus, mortisque periculis nihil deter-

deterritus, quoties suggestum côcionaturus ascenderet, mortem toties oculis obuersari sensit. telis enim armati necem minitabantur, si vel leuiter in fidei controuersijs Caluinum perstringeret. diuina tamen prouidentia, ad maiora reseruatus saluus euasit, tempori enim seruiendũ ratus de virtutibus, & vitijs verba facere, dũ tetra illa tempestas in malaciam verteret. suffecto mox vrbis prefecto Catholico causam hæreticorum oppugnare, ac iugulare non destitit Augerius. Catholici ab exilio domum reuocati: animum illis in retinenda religione maiorum summa dicendi vi addidit, fremẽtibus interea sectarijs, sibiq́ue indignantibus, quod cum integra res esset, Iesuitam (sic enim appellabant) non iugulassent. Posseuin⁹ similiter Italico sermone ciues, quiq́ue ibidem negotiarentur per id tempus concionando confirmauit: iterumq́ue hæretici armorũ vi, quod nó satis ex voto res ipsis procederet, crescente in dies magis, magisq; Catholicorum numero, illorum iam diminutis

minutis copijs, ad Sathanæ artes de more confugiunt, extremaque tentanda, vel reipub. totius interitu censent. Pestis Gebennam populabatur: inde vnguenta allata, ea arte effecta, dæmonũ credo inuento, vt (heu scelus) seras portarum Lugduni, limina, & postes, salui ipsi perduelles vngerent, inficerentur verò qui attingerent, domosque frequentarent. Sic Catholicorum ædes potissimũ inunxerant: at re cognita gliscenteq; malo fuga salutem pleriq; inuenerunt, opulentiores: triginta tamen millia pestilentia extincta memorãtur. Verum Dei benignitate factum, quod est ad æternitatem memorandum, vt in authores pestilens malũ recideret: plures enim sectarios peste perijsse compertum est. Hic nõ minus in corporibus, quam in animis antea curandis Emundi fides, vigilantiaque enituit, aures enim dare ritè confitentibus, Eucharistiã item impertiri non destitit, imbecilliores ciues in rebus acerbis, pijs alloquijs erigere, ad patientiam excitare, pharmaca, & alimenta

menta egentibus ne deessent, & cadauera ne insepulta iacerent curare, nimirum summo in reipub. discrimine opinione maiores illi Deus vires, vt solet, sufficere visus, gratesque illi publice actæ vitæ auctori, cui placitum socios opportuno maximè tempore ciuitati ad interitum ruēti submittere: Emundum vt patriæ patrem, animorumque parentem prædicare, & tantum non in cœlum laudibus Lugdunenses efferre.

Collegia in Gallia constituit.

CAP. IV.

IGitur Ecclesiæ in Gallia laborantis commodo Collegia sociorum LAYNES, vt dixi, tanquā murum pro domo Dei exædificari, tenui licet subsidio, permisit. In his Turnonensis gymnasij hoc principium fuit. Franciscus Cardinalis Amplissimus Turnoni in oppido ditionis familiæ suæ, quo erat Catholicæ religionis zelo, prudentia item, rerumque vsu singulari, acutè per id tēpus viderat, quam

in sententiam Cōcilij Tridentini Patres decretū fecerant, præsentissimum iuuādæ Ecclesiæ remedium esse, ducto à tenera ætate initio, pias scholas pueris aperire, quibus pietatem cum litteris imbiberent, nimirū illud esse, quod vetus ille poeta ait: *Serere arbores quæ alteri seculo prosint.* permagni enim interesse reipubl. à teneris optima ab optimis doctoribus hauriri, idem Princeps è Philosophis sapientissimis hominibus acceperat. Gymnasium itaque ditionis suæ inquilinis, optimæque spei adolescentibus magno aere instituit, doctores summa vigilantia quęsiti, eruditi quidem illi, sed non satis in retinenda maiorum fide constantes. E finitimorū enim libris deprauatarum opinionum venenum incautius haustum, pueris etiam clam (vt cancer ille perpetuo serpit) instillabant. re tandem comperta, Cardinalis iratus, & indignabundus, quamuis aduigilaret ipsorum perfidia creditam sibi iuuentutem corrumpi, magistros illos res sibi suas habere iussit: datisque extem-

extemplo Lutetiam ad LAYNEM litteris, rogat, socios quamprimum mittat excolendæ iuuentuti, optimis & pietatis, & litterarum præceptionibus. His vnis fidere, præterea nemini, fixum iam sibi constitutumque esse. testatus etiam, quod res erat, hãc vnam maxime idoneam iuuandæ Ecclesiæ Catholicæ rationem, nec aliã videri. LAYNES, cui eandem Deus mẽtem iniecerat, socios non inuitus mittit, magni in Ecclesia Principis consilium, & authoritatem secutus. Socijs Emũdus Augerius, quasi nouæ Coloniæ primus ibi præfuit.

Ruthenense Collegium eodẽ tempore, consilioque institutum. Tholosanum item in Tectosagibus: quę tum mirificè creuerũt, aduentu sociorum Pamierensi Collegio pulsorum, idq; hæreticorum vi, qui ea tempestate Galliam vniuersam populati, grassantes, ferro, igni, & cædibus omnia vastabant. Ioannes Pelletarius homo Gallus, verè pius, & in Dei causa tuenda, ardẽs, ac vehemẽs. Hic omnem illam Aquitaniæ oram concionibus con-

confirmauit, nutantes erexit, hæreticorũ furori restitit, pericula adijt, è quibus Dei beneficio, piorum hominum opera, tãquam ex Orci faucibus ereptus, mox in grauem morbum Tolosæ incidens, magno sui bonis omnibus relicto desiderio mortem obijt. Auenionẽse per idem ferè tempus cõdi cœptum, vt & hic canes pro domo Dei excubãtes in ipso Italiæ ostio ne deessent. Et quamuis fæda hic tempestas orta, calumnia quorundã, qui societatis vel nomẽ ipsum immane quantum, oderunt, confictis mendacijs, falsisq; adhibitis testibus, quibus nos aqua, & igni interdicere, vrbe exigere, & traducere orbi studebant; factum tamen Dei benignitate, vt rei veritate, sociorumq; innocẽtiã comperta, Palinodiã illi canere, hos in integrum restituere, superiorum iussu publicè sint coacti, qui palã læserãt. Collegium ad hęc Mauriacense Aruernorum prouinciæ Franciæ inchoauit iam tum Episcop. Clarimontanus, qui & Parisiense, & Billoniense extruenda curauit.

Lugdunensis Collegij exordia referre pretium operæ duxi: sanè non diuersus à Turnonensi euentus fuit. Ludum iuuentuti ciues ærarij sumptu aperuerũt, ne inter exoticas merces, quæ multæ importantur, ingeniorum cultus, studiaque iacerent. Mercurius enim mercibus, & eloquẽtiæ preesse credebatur, & Hermathena in gymnasijs dedicata. Ei ludo eruditum quidem virum, mercede conductum præficiunt, sed ad viri boni, ac pij personam fingendam apprime compositum. Catholicus enim videri, fucum faciens simulator ille volebat, quo incautàm iuuentutem promptius falleret: latebat tamen sub ouina pelle lupus, infecerat iam nobilitatis, ciuiumque præstantiam liberos aliquot, tinxeratque hereseos macula, quo callidius, eo nocentius. Discipulis, cum ætate adoleuissent, ad reipubl. administrationem vocatis, personam ille deponere, cristas erigere, audaciam sumere: publicè etiam iactare ausus, atque ostẽdere hostem se capitalem eorum

esse,

esse, qui de religione maiorum bene sentirent: nemo tamen palam obsistere, & loco, vt oportuit, deturbare tentauit, fauentibus eiusdem factionis, quorum iam authoritas esset, discipulis; vt similes habēt labra lactucas. Deo tādem visum vindicare iniuriam reipubl. à flagitioso homine allatam, corrupta illa iuuentute, & quidem in meliore hominis parte, animo, fideque maiorum. Supplicatio Lugduni de more instituta, anniuersario, solenniq; ritu, festo Eucharistię die. Sacerdos, qui hostiam diuinam manibus gestabat, domum illius prætergressus lapide petitus est, ex ludimagistri ædibus, accurrunt statim ciues, nec opinantem, vt tanti mali architectum, qui pridem audirent male, vulneribus confossum iugulant. Sectatores illius, & assec!æ plerique, infelicem, & ipsi exitum (vt fit) sortiti, vel in crucem acti, meritas pœnas dederunt; re itaque iuuentutis instituendæ, in cōsilium delata bonum factum Lugdunenses iudicarunt societati, cuius propria ea ratio esset, vt

cum litteris ad pietatē pueros informaret, id munus publicè mandare. vt enim fontium aquæ ſalubriores, vitam potanti; corruptæ contra necem adferunt: lac item nutricis valetudini prodeſt, ſic & ludi litterarij ſalutem reipub. vel peſtem adferunt, LAYNES per litteras à ſenatu rogatus ſocios doctores extemplo miſit: Collegium tamen Lugduni Franciſcus Borgia præpoſitus Generalis, conſtituit: primæque regendi partes Gulielmo Critoni, homini Scoto datæ. Is egregiam Lugdunenſibus per id tempus, ceteriſque Galliæ oppidis operam nauauit.

Chamberenſe Collegium in Allobrogū regione ſubalpina ab eodem LAYNE cœptum. Emmanuel enim Philibertus Allobrogum regulus pa-
1559. ctis iam anno 1559. Catholicum inter & Chriſtianiſſimum Reges fœderibus, in integrum reſtitutus, nihil duxit antiquius, quam euocatis ſocijs, tanquam vigiles agri Dominici paſtores, in ſtatione excubantes collocare, periculum enim proximum eſt à Ge-

à Gebennicis, qui in eo ipso agro degunt, vnde malum omne deprauatarum opinionum, in Galliã, omnemque ferè Europæ regionem propagatum dolemus.

Collegiorum Turnonensis, & Billomensis motus. Paschasij mors.

CAP. V.

MAgnos in Galliam fructus societatis Collegia adferre visa. Non fugiebat ea res sectarios, qui iuuentutem optimis imbui vna cum litteris pietatis etiam moribus, æquo animo ferre, inuidia stimulati, non poterant. Armis itaque tum, & audacia superiores, Valentiam Cauarum vt ostendimus, proditione ceperant. Vrbis Præfecto è fenestra suspenso, & Emundo Augerio, Turnonensis Collegij rectore in vincula compacto, extemplo Turnonij oppidi tertio inde lapide, Rhodano flumini impositi, domino, imperiose simul, & impie mandant, Missæ sacrificium in ditione sua fieri ne paterere-

tur: Iesuitas quamprimum, si saluus esse vellet vrbe pelleret: ipsorum se partibus adiungeret. Ni pareret, exercitu misso, hostilia omnia expectaret. Hic vt erat Catholicæ amans fidei, accersito statim sociorum Prorectore, quid facto opus illis malis, tantaq́; hæreticorum insolentia quærit. Ille ad socios quatuor, & viginti domi rem deferendam ait. Hic vno omnes ore mortem potius appetendam, pro religione maiorum respondent, quam fuga turpi, hæreticorum furori cedendum. Laudat constantẽ sociorum animũ Princeps, verum vt ad maiora se reseruent, quæ illa tempora erant, hortatur. Viderent itaque etiam atque etiam ne sua causa Turnonensibus Catholicis, & ditioni, interitum adferrent: viderent item, qua superbia, ac rabie hostes impune grassarentur. Sibi quidem tempori, & furori cedẽdum videri. Socij contra mortem rebus omnibus anteponere, atque exoptare: domino tamen, qui euocasset, aluissetque liberaliter, repugnare se nolle

nolle affirmant; modo chirographo testaretur, iussos illos, atque inuitos cedere; non mortis metu fugere. Ea ipsa diei hora, digressis magno ciuium luctu socijs, irrumpunt sectarij: Cruces Christi, vt solent, ad terram affligunt, Diuorum imagines templis exturbant, templa profanant. Discipulis ferè mille relictis, studia litterarum iacuerunt, Collegium occupant, nihil tamen vt supellectilis attigerint, aut violarint: nimirum Deo ita iubente, vt sartam tectam domum breui, & quam in bonis haberent suppellectilem vniuersam nostri reciperent. Qui interea dum pelago hyems illa desæuiret, in Billoniense Collegium Aruernorum se recipiunt: quaterni ferè per medias hostium acies, sine periculo profecti. verùm ne hic quidem diu tuti fuerunt: nam & Aruernorum in prouinciam nubes illa belli intestini incubuit, Hæretici socios domo exigunt, quod sacris ritè operarentur, & iuuentutem rectè erudirent: magna sanè incolarum mœstitia, di-

ſcipulorumq́;, amplius mille, & c c.
luctu, ac ſqualore. Poſt non diù placitum Deo, cui cordi Eccleſia eſt, hortantibus ſocijs animum pijs adhuc languentibus addere. Aruerni, & cauſſæ, & priſtinæ virtutis memores, armis ſumptis, omni ditione perduelles exactos profligant: pacem Reipubl. & otium Eccleſiæ tranquillitatemque conſtituunt. Per idem tempus Lutetię peſte interijt Paſchaſius Broetus, domo Picardus: Franciæ tum prouinciæ ſocijs præfectus; vnus è decem primis, qui ſe ad Ignatium Loyolam adiunxerunt, & in ſtabilienda ſocietate conſors, ſingulari vir pietate, morum candore, & prudenti ſimplicitate præditus: quibus artibus omnes ad ſui amorem facilè alliciebat. Miſſus hic olim à Paulo III. Pontif. anno (opinor)
1541. 1541. vna cum Alfonſo Salmerone in Hiberniam, finitimam Britanniæ inſulam; vt nuncius Apoſtolicus. Multa ibi aduerſa pertulit. Tandem Henrici VIII. qui tunc rerum nouarum ſtudio, ſeque, remque publicam, & reli-

religionem in Britannia pessum dedit, insidijs petitus, Pontifice etiam euocante cessit, Lutetiam venit: inde Lugdunum pedes, tenui, ac pæne nullo viatico. Hic cum comite Hispano capitur, quod castra explorare dicerentur, instaurato rursum bello, Gallos inter, & Hispanos: Post, cognito societatis esse sacerdotes innocentia tuti, vinculis emissi, honorifice viatico adiuti, munificentia Turnonij Cardinalis Romam redeunt. Inde Collegia, cum imperio Præpositi, pedibus longo interuallo dissita, obibat hilariter: inopiæ apprime studiosus, & modestiæ; suique contemptor, egregius; quibus etiam artibus bonis, Gallis ciuibus suis præluxit, exemploque fuit. In lacrimis hic serens, quæ post alij vberi messe collegerunt.

Nicolaus Gaudanus in Scotiam à Pontifice Nuncius mittitur.

CAP. VI.

GAllici tumultus alijs etiam prouincijs, vt solet, turbas dederunt, in his etiam Scotiæ regno; quæ & ipsa insula Britanniæ Septentrionem versus adiacet; Sectarij enim sacra hic omnia de more profanabant; Regum auctoritate diminuta, ad se iura omnia per fas, nefasque rapuerant. Missus itaque è societate Pontificis iussu, Mariæ Reginæ confirmandæ, pijsque solandis Doctor Nicolaus Gaudanus, Batauus gente, Theologus pius iuxta, ac doctus, Apostolici Nuncij nomine. Maria enim, Francisco secundo Galliarum Rege coniuge, in ipso ætatis flore ante diem extincto, anno 1561. in hæ-
1561. reditarium Scotiæ regnum reuertit, sed tumultu, factionibus, ac seditionibus, hæreticorum opera, nimis turbatum: nullus vt Regum, Principumue respectus esset, Regia auctoritas, vel eo nomine quod Catholicorum fidem amplexa retineret, decesserat, & pœne exoleuerat. Tantum enim abfuit, vt quæ votorum summa

ſumma erat antiquam inſulanis Religionem redhibere matrona quiuerit; vt ne tuta quidem ab hæreticorum tyrannide, atq; inſidijs vixerit. Cuius vicem, re cognita, miſeratus Põtifex verè Pius, cõmunis omnium communi in vrbe parens, in aduerſis rebus, vltimiſque in terra finibus quando aliud nihil poſſet, vt tempora erant peracerba, optimam Reginam ſolandam, confirmandamque cenſuit, ſociorum opera. Si enim Præſulem, publicamque perſonam mitteret, non ignorabat fraudi illi, damnoque fore, nec admiſſuros, audituroſue legatum Pontificium, tantum abeſt, vt dicto audientes futuri eſſent, qui à Deo, fideque turpiter deſciuerant. Delectus ad hanc Legationem clandeſtinam obeundam, è Sociorum corpore Nicolaus Gaudanus, prudens, rebuſque gerendis idoneus, ac pius comes additus, vt linguę in primis, & locorum gnarus; & claro illic loco natus Emundus Hayus ſocietatis iam Sacerdos, Le-

tham mox ſecundo curſu, ventoque delati, qui Scotorũ portus eſt: Commodum eodem Gulielmus Critonus appulerat, Scotus & ipſe, & socijs nuper in Belgio clam aggregatus negociorum enim gratia in patriã traiecerat. Vix iam excenſione in portum facta, rumor iam incerto auctore, de Gaudani aduentu prius increbuerat, quam ad Reginæ aures accederet. Edixerant ſectarij pro concione, præconum etiam Miniſtrorumque Satanæ voce, vt peſtem, perniciemque ſacrificuli, qui aduolaſſet, inſulani fugerent. Deferenti nomen prẹmium magnum propoſitum; maius, qui viuum, vinctumque ad exquiſita tormenta, necemque quæſitum ſiſteret. Tuto itaque ſibi in aula eſſe non licere animaduertens Gaudanus, ad interiora Inſulæ loca confugit, latendum dies aliquot ratus, apud Haij neceſſarios. Verùm ne hic quidem periculi ſatis ſecurus fuga ſe pripuit, ſtipatus Gulielmo Critonio qui & ipſe emẽtito habitu, ꝙ linguæ,

loco-

locorumq; peritus esset, ne sociorum nostrorũ esse in numero crederetur, fallere, ac latere promptius poterat. Tandem aliquando Reginam sine arbitris salutãdi potestas Gaudano fuit, clam tamen hæreticis. Pontificiũ hic deploma obtulit, hortatur verbis illius vt Catholicam fidem, & ipsa in aduersis constãter retineret, & si posset regno instauraret. Ei rei cœleste præsidium pollicetur, & humanum. Læte legationem Regina accepit, gratiasq; Pontifici egit, quod sui memoriam nõ abiecisset. Virili ad hæc animo, & supra ætatem, sexumque forti Gaudano mandat, nuncius idem Pontifici hæc referret: constanter se, Deo bene iuuante, vt ad illã diem, retenturam religionem Catholicam Romanam. Hæresibus vero, & reip. tumultibus, quæ mala extinguere, & componere frustra tentasset, se de sententia non abductum iri: atque adeo sperare, fore vt ijs magis, magisque confirmaretur; virtus enim in infirmitate perficitur. Addidit amplius paratam se etiam mortem pro ea ipsa religione

religione maiorum oppetere, quam vna cum nutricis lacte imbibisset, & vnam veram esse fidem, tutamq; salutis viam, aberrare cæteras, persuasum habere. De se itaque securo esse animo, communẽ Ecclesiæ parentem iubet. Tanta hæc vehementia virago dixit, vt Gaudanus merito admirabundus, ac pœne defixus obstupesceret. Eadem mox manu sua Pontifici datis ad eum literis, pollicita, ea iam tum constantiæ signa dedit, quæ
1587. post re ipsa præstitit, cum anno 1587. barbara immani, & post homines natos inaudita crudelitate, ab Isabella Anglorum Regina, amita, ob Religionem maiorum defensam, carnificis Londinensis manu, proh dolor, iugulata Fodringaia in arce Martyrij palmam accepit. Episcopos quoque Gaudanus eodem astu, prudentiaque singulatim Pontificis verbis clam appellauit, Breuiaque (vt vocant) obtulit, quibus officij boni Pastoris, difficillimis illis temporibus admonerentur. Principibus item, & Dynastis, quos in religione maiorũ perseuera-

re cōſtaret, auctor fuit, meminiſſent, qua de cauſa gladium portarent: puta pro Eccleſia, iuſtitiaq; tuēda, oſtenderent cum res daret, conſtantes ſe militantis Eccleſiæ filios, Dei bella gerere velle. Mox menſibus aliquot ibi ſummo vitæ diſcrimine conſumptis, cum ſpes nulla fructus reliqua eſſet, in Belgium Gaudanus reuertit, non minore, quam ingreſſus inſulam erat, periculo; inueſtigātibus ſedulo ſectarijs, ac miniſtris. Regina vero, inſtaurato iterum Tridenti Pij Quarti Pont. auſpicijs Concilio, Patribus ſcripſit, quando, vt maxime pridē optarat, integrū ſibi non eſſet, ab hęreticis in regno oppreſſæ, Epiſcopos ad ſacroſanctā ſynodum mittere, Legati vice functurū Carolū Cardinalē Lotharingiū, patruū ſuū: quæ pro ſe, ille ſpōderet, rata ea fore; ſeruaturā ſe religioſe omnia, vt ſe dignum eſſet, quæ in Eccleſiæ Catholicæ ſinu nata, atque educata creuiſſet. Cęterum ſocios nominis Ieſu exinde ſic dilexit, vt in cuſtodia illa tetra, ſeptemdecim, & q excurrit, annorum, qua pia Regina

indigne

indigne est habita, societatis sacerdotem consilijs semper adhibuerit, expurgandæ etiam conscientiæ, confessione criminum ante actæ vitæ, ad extremum vsq; vitæ spiritum. Hic in Galliæ Belgicæ finibus, testis adhuc superstes est: qui ementito sæculi habitu, vt tempora illa flagitabãt, Quæstori rationũ Reginæ à secretis se fingebat quo tutior ad illam in vincula aditus pateret. Nunc ad Gallicas res redeamus.

Gallici tumultus res composita.

CAP. VII.

HAEC quidem tunc Gallicarum rerum facies miserãda, hi motus exstitere, qui venti tametsi non omnino compositi; (id enim optare citius licebat, quam sperare) mitigati tamen magnam partem LAYNIS opera, vigilantiaq;. Eo enim res tum euaserat, vt perduelles publice minari pijs rapinam, incendia, necem denique auderent: obsistẽte nemine: quod quorum id maxime intererat, Magistratus remp. moderantes, prouinciasq;

uinciasq; administrantes satrapæ, fi-
cta iam persona, religionisque auitæ
pertæsi, partim aere alieno oppressi,
partim nouarum rerum studio ducti,
hæreticorum clam factioni fauerent.
Hinc illa reip. olim florentissimæ la-
bes, hinc fundi calamitas orta donec
Possiaco illo conuentu, atque collo-
quio, Carolus Lotharingus Cardina-
lis, singulari in Ecclesiam zelo, pius,
atque disertus, doctorum Catholico-
rum nomine, Ministris Gebennicis ea
proposuit argumentorũ, rationumq;
momenta, confirmandæ fidei maio-
rum, quæ refellere ipsi, tametsi rum-
perentur, & fremerent, nequaquam
possent: sed vt solẽt, ad conuicia, cla-
mores, atq; blasphemias, veteres dæ-
monis artes, præstigiasq;, ne silere vi-
derentur, confugerunt. Principes ita-
que pij, qui forte aderant sumptis cũ
animis, & armis, pactisq; inter se fœ-
deribus, laboranti, atq; nutanti reip.
& fidei maiorum, vti suppetias fer-
rent, è vestigio non ministris solum
Sathanæ silẽtium Lutetię Parisiorum
indicunt, ne virus illud pestilẽs euo-
meret,

mere, ac disseminare pergerent; sed & Nauarræ Reginæ, (eo enim se nomine iactabat;) Condæo itē Principi, & Admirantio Colignio eiusq́; fratribus, qui & à purpuratorum Patrum, atque adeo maiorum religione præuaricādo, turpiter defecerant, Othoni Colignio Castellonio, & Andalotio, Parisiensi curia seuere interdicunt. Hi enim auctores, & antesignani perduellium in Gallia intestini belli motus, nouarum rerum studio, concitarant. Id exemplum Prouinciæ, vrbesq́; certatim sequebantur, vt tempestas illa in malaciam, tranquillitatemq́; mox verterit: conuenticula fieri, nocturna presertim, prohibita; Catholicis quieta respub. constituta: sedi item Apostolicæ Romanæ reddi auctoritas cœpit, pœne collapsa. Cardinalem enim Estensem, principio tantum, vt Gallici nominis studiosum comitijs adhibent: nunc vt legatum Pontificium agnoscunt, colūt, obseruant. Legatione itaq; frementibus licet hæreticis, ligando, soluendoq́; ex diuino præcepto fungitur. Nulli adhæc Galliæ Episcopi

scopi Tridentũ ad instaurandã synodum venturi, vt tempora erant, videbãtur, nunc plurimi ductu, auspicijsq; Lotharingij Cardinalis, Antistites eo profecti. Non tamẽ vsquequaq; restitutã pacẽ, euersamq; radicẽ malorũ, iã tũ LAYNES augurabatur. Data enim ad amicum epistola, Deum flagella, imbris instar, copiose demittere, scripsit: quæ solus ille, quando mortaliũ irriti conatus essẽt, tollere, cũ liberet posset. Quod verũ fuisse oraculũ, cõsequentium annorum euentus, nostra etiam memoria, declarauit.

E Gallia Tridentũ, instaurata synodo tertium reuertit. CAP. VIII.

PIus IV. Pont. Tridenti Cõcilium bellis ciuilibus intermissum Ecclesiæ cõmodo instaurari iubet: Euocatoq; è Gallia per litteras LAYNE præsto esse imperat. Regibus ille comiter consalutatis, a. d. VI. Id. Iunias anni 1562. Tridentum versus Belgis, Germaniaq; in viam se dedit: Functus interim parẽtis optimi officio, lustrãdis sociorũ Collegijs, qua iter haberet, & alloquijs, ad pfectæ vitæ normã impel- 1562.

impellens. Collegia iactis pridē fundamentis ad tectum perducenda curat. Electores (vt vocant) Cęsaris tres, qui cœlibem vitā ducunt, cæterosq́;, qui à religione maiorum non abhorrerent, consilijs iuuit, in retinenda fide Catholica, studijsque, quibus vera religio defenditur, fouendis concionatus non raro in augustiss templis. Collegia quoque in Germania, quæ mox recensebo, constituta. Tridentū vt venit, magna Legatorum sedis Apostolicæ voluntate, & Episcoporū studio, quorum alij auditum pridem admirabantur, alij audire auebant, gratus, expectatusque fuit. Disputari antea cœptum de rebus arduis, vt de Eucharistiæ sacramento, absente LAYNE, cuius sententiam, repetita prælectione, audire exoptabant, quem vnum, multorum instar esse dicerent. De loco ambigi cœptum: non enim Pontificis maximi Theologo, duntaxat, vt antea, locus inter Episcopos erat, sed societatis iam Præposito Generali, inter cæteros, mendicantium ordinum, Præpositos debebatur: Verum

rum

rum quod in tanto hominum concursu, atrijque amplitudine, ex eo loco audiri commode nō posset, quem libenter auscultarent, legati è regione asidere inter Episcopos LAYNEM iubent, cumque sententiam de more dicturus esset, Theologorum suggestum, qui Conclauis mediū teneret, iussus ascendit. Tribus sæpe horis continenter, de re proposita, fideique controuersijs, via, ac ratione, firmis lateribus, acute, ac copiose disseruit, nullo audientium fastidio. Sin suo remansisset loco, qua erat modestia, assurgere Episcopi, propiusque accedere, & pedibus stare visi sunt. Detinebat enim auditorum animos, cum rei, de qua ageretur grauitas, tū dicentis venustas, vt à dicētis ore, ex quo melle dulcior fluebat oratio, pēderent omnes. Ex quo communi consensione, nata ea vox, LAYNIS sententiam citra exceptionem, controuersiamque veram, certamq; videri. Hæc de doctrina; nunc de moribus pauca. Duplex hic quoq; LAYNIS virtus enituit, cum humilitatis, tum

Con-

constantiæ, legatis enim ijsdẽ visum, societatis prępositoGenerali, tametsi tẽpore cæteris posterior esset, primũ inter prępositos locũ deberi, tanquã Clericis, qui semper monachis ante-poni solerẽt, molestũ id ijs visum, qui præscriptionis iure niterentur, & antiquitate antecederent. LAYNES inuidiæ declinandæ, ne offendere alios Legati viderẽtur, etiã, atq; etiã rogat, obtestaturq́; in illo cõcordiæ conuẽtu, de loci præstãtia, societatis causa, rixas, iurgia, cõtentionesq́;, pijs viris indignas, oriri ne paterentur: quouis se loco, vel infimo contentum, qui & humi pedibus omniũ calcari non refugeret. Legati tamẽ suo iudicio nixi LAYNEM in extremo Episcoporum subsellio asidere iubent: postremo quoq; loco inter ordinum prępositos sententiã dicere: hoc quidem, ne cæteris iniuriã familijs fecisse viderentur, cum societatis familia nuper orta, cõfirmataq́; esset, illud vero, vt socios in clericorum seu presbyterorũ numero honorandos iudicarẽt. Factũ etiam in ea ipsa synodo decretũ cum clerico-

clericorum societatis Iesu honorifica mentione in hæc verba. *Sancta synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio clericorum societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.* Sess. 25. cap. 16. Constātiæ vero LAYNIS hoc documentū habeo, ambiguā enim, & incertā, quæq; aliter exponi posset, sententiā, tuentibus nonnullis, ijs assentiri vt vellet, impetrari ab eo nunquā potuit, licet omni ope, industriaq; niterentur, vt vel vnus subscriberet LAYNES. Paradoxa enim fugiebat, quęq; de religione periculose dicerētur. In Deum enim, vtilitatēq; Ecclesiæ matris, respectū perpetuo habuit, nulla vt auctoritas, neq; gratia, hominis vnquam frangere constantiā, potuerit, præsertim cum Dei, qui veritas ipsa est, defendendam causam suscepisset, vsus vero Tridēti familiarissime est Hercule Gonzaga, vno tum ex legatis synodi, excellenti prudentia, & auctoritate prædito. Hic cum antea alio

aioro

niore à LAYNE animo fuiſſet, fide habita, confictis maleuolorum calũnijs, poſt comperta LAYNIS innocentia, atque integritate, vſq; eo illum amauit, cõplexuſq; eſt, vt poſtridie Kalendas Martias, anni inſequentis, Tridenti decedens, teſtamento Mantuæ ſocijs Collegium conſtrui, æris parte attributa, mandarit.

Societatis Collegia iterum condita.

CAP. IX.

TRidenti LAYNES dum fidei controuerſias diſputando aſsidue diſceptat, nihil tamen de labore ſocietatis adminiſtrãdæ remiſit. Belgio iter Tridentum, & Gallia faciens, Antuerpiam (quod emporium, Brabantiæ maximum eſt, ad Scaldim flumen ſitum, nauibus commodum, portus mercibus, exteriſq; gentibus præſens domicilium) ſocios miſit LAYNES, bono illius ciuitatis publico, mercatorum enim Hiſpanicæ præſertim gentis, qui illic negotiantur, munificen-

nificentia, ære ingenti coemptæ ædes, vrbis in vmbilico augustissimæ. Inde post hæreticorũ, qui societatem mirifice oderunt, factionibus, ac tumultibus anno 1579. exsilio solum vertere coacti socij: dominantibus perduellibus, & sectarijs, ministris etiam domum occupantibus. Anno deinceps octauo postliminio reuersi, socij in integrum restituti sunt, Philippi regis Catholici auspicijs recepta vrbe, ductuq; Alexandri Farnesij Principis Parmę, fortissimi post hominum memoriam Imperatoris. Louaniense itẽ, Tornacense, & Coloniense Collegia, LAYNIS adiumento aucta. In Diui Audomari fano extrui aliud cœpit, liberalitate pij, iuxta, ac docti viri Gerardi Hamericourtij Abbatis sancti Bertini. Cameracum quoq; (Samarobrino in agro situm id oppidum) socij euocati, domusq; attribuata, munificentia Archiepiscopi nobilis Maximiliani à Bergis: cui negandum id officium LAYNES publicè profuturum non putauit.

1579.

Treuirensi, & Moguntino, in Rheni pro-

ni prouincia, Collegijs non modica facta accessio: additum & Spirense Collegium, qua in vrbe sedes est cōsilij, atque Iudicij Cæsaris. Ferdinandus quoque Imperator, vere Catholicus, Caroli vt sanguine germanus, sic & morum pietatisque æmulus, cum duo iam Collegia socijs exædificasset, Viennense in Austria, & in Bohemiæ Regno Pragense: his non contentus, tertium in ditione Tirolensi, Oeniponti construendum, sua pecunia curauit, ædibus augustis à fundamento excitatis. Pridem enim societatis emolumentum, pius Princeps, tanquam ex arce speculatus, moribus, doctrinaque iuuari videns mirum in modum laborantem ibi Ecclesiam; hæreticorum item calumnias, & Sophismata dilui pietatem ad hæc, in qua sunt omnia, sociorum opera, iuuentutem Germanicam, vna cum litteris imbibere, in hanc sententiam est ingressus; Dicere illud etiam solitum ferunt, vna iuuentutis recta institutione, reipub. salutem, & Ecclesiæ pacem contineri. Omitto

Hispaniæ

Hiſpaniæ Collegia, quæ ſuperiore libro retulimus: creuere tamen ea tempeſtate LAYNIS induſtria, vigilantiaque in immenſum. Eo ipſo anno, altero, & ſexageſimo, Traguenenſe in Bœtica prouincia cœptum ſumptibus Franciſci Palmæ, hominis quidem priuati, ſed locupletis, & ſocietatis ſtudioſi. Hic vicem indoluit patriæ, literis, & pietatis ſtudio carentis, præſertim in agreſtibus hominibus, pagiſque finitimis. Cognatis, qui hæreditati illius inhiabant repugnantibus, liteque vexantibus, ſocijs etiam conditionem repudiantibus, quod in vulgus ſparſum eſſet, bona ipſos aliorum affectare: conſtantia tamen Franciſcus euicit, vt & ſecundum illum lata ſententia, ſtaret, & caderent aduerſarij: Socij tandem præcibus victi ceſſerunt, officiaque illic exercent. Aucta etiam poſt domus liberalitate matronæ nobilis Læonoræ Sunigæ, comitis Nieblæ: necnon Alfonſi Pereſij Gazmani cognomento boni, Ducis Methymnæ Sidoniæ: 1562.

quæ familia vt nobilitatis antiquitate præstat, ita & religione, singularique in societatem studio nulli concedit: Per idem tempus & Legioniense inchoatum Collegium, patrimonio ciuis, qui societati se sponte addixerat: vnde ingẽs messis animorum, emolumentumq; publicum in omnem illum Rioyæ agrum redundauit. In Aragonensi Prouincia, Balearicum Collegium, in insula quam Maioricam vulgo (vt vicinam mole minorem, Minoricam) appellant, frequentari cœpit, postulante societatis prebytero optime merito, Hieronymo Natali Baleari. Missi huc socij incredibile dictu est, quantum commodi insulanis, cum pietatis studio, assidue concionando, tum iuuẽtute illa, optimæ indolis, litteris instituenda, attulerit. Ciues enim grati animi testificationem, quod nihil liberis parentes, ne lumina quidem, carius habeant, socios ita suspiciunt, atque honorant, vt supra nihil: & tanquã cœlo lapsos homines existimant.

Noua

Noua in societatem tempestas de Pontificis seminario excitata sedatur.

CAP. X.

DImisso iam Tridenti Patrum Concilio, Romam LAYNES, a.d. IV. idus Decembris cogitat anni 1563. lustratis interea Prouinciæ Italiæ, qua iter esset, sociorum familijs: hortatus omnes, ad seuerioris vitæ disciplinam, ex Ignatij præscriptis, religiose seruandam. Insequentis mox anni idibus Februarij Romæ grate à suis, exterisque acceptus, tranquilla cum essent omnia, ecce tibi tempestas subito, nec opinata emersit, non sociorum vitio, sed aduersariorum calumnia. Cæterum hinc mali labes orta. Decretum Tridenti est diuinitus, vt Episcopi in suis quisq; sedibus seminaria, vt appellant, erigerent, in quibus familijs suo aere litteris, studijsq; excolerent magnæ spei adolescentes, qui post Ecclesiæ commodis seruirent, atq; ob angustę rei familiaris tenuitatem, in studijs ætatem age- 1563.

re non possent. Seminaria enim reipub. & Ecclesiæ iuuentutem esse sapientissimi omnes omnium ætatum homines iudicarunt: à qua quidem ætate ducto exordio, vt corrupti hominum mores, ad pristinam Ecclesiæ disciplinam reuocentur; vna hæc idonea maxime ratio putabatur. Visum itaque Pontifici vere Pio, sua interesse, vt qui legem approbando tulisset, eandem Romæ, æterna in vrbe, & orbis capite, primus seruaret, cæteris vt Episcopis præiret, facemq; præferret. Verum enim illud est Platonis Philosophorum coryphæi dogma, ad Principis, summiq; Magistratus exemplum componi alios solere. Dictum itaq;, & factũ, de ædibus iam conuenerat, cũ ad purpuratorum Patrum senatus Pius retulit, ecquinam potissimum alumnis præficerentur, quique doctores idonei adhiberẽtur. Ventum tãdem omnium suffragijs in eam sententiã est, societati id munus, plenum & laboris, & fidei, esse mandandum: quod vna cum litteris optimis etiã pietatis morib. nostra ætate

iuuen-

iuuentutē informarent. Acerbū id asperumq́; auditu accidit Romæ, plerisq́;, qui id officij quęstus potius gratia, quam cōmodi publici, ambirent: quiq́; sua, non reipub. & Ecclesiæ emolumenta captarent, hacq́; via ad honores grassarentur. Socijs interim rerum, quæ agerentur, ignaris: quos alij in administrãdo præferri sibi moleste ferrent: indignū rati, peregrinos, & ignotos homines, vti iactabant, nuperq́; in ciuitatē adscitos religiosulos ciuibus anteponi, vsu rerū, experimentisq́; probatis. Auxit odiū quod eo ipso tempore his, qui Pontificis auspicijs, auctoritateq́; templa vrbis Romæ lustrarēt, comites, Pontificis, iussu, sacerdotes societatis additi sunt. Quo in munere recte obeundo, qui Cēsoria, (vt sæpe fit) damnatur nota, iniuriã interpretatur: iracundiã præmit, quæ tempore in odiū vertit: hinc vindictæ oportunū tempus expectat. Cœlatū itaq; odium tandē aliquando erumpit, & in socios virus euomit, quasi odioso se ipsi muneri obtulissēt qui coacti, Pontifici dicto audientes
 parebant.

parebãt. Igitur rumores ea tempestate incertis auctoribus in vulgus dissipati, ignominæ pleni, imperitos enim rerum, indoctos, & barbaros socios appellabant. Plures etiam in Romano clero existere doctrina præstantes, rebusque gerendis idoneos. Horum potius habendam rationem, illos negligendos: Lætari interim socij munus quod ipsi serio defugerent, ambire alios, ac prensare: quæ res vt bene vrbi verteret, Deum venerando precati, conuitia, atque calumnias silentio melius refellunt. Explorata enim illorum, quos adeo aduersarij commendarent, doctrina, & moribus, periculoq; facto, compertũ est erudiendæ iuuentuti, & moderandæ, ineptos esse. Factum itaq; decretũ Pontificis, Cardinaliumq; in eam sententiã, socij vt seminariũ administrarent. Hoc etiam addito elogio: publici officij, fideiq; societatis id munus deberi, tũ priuatim LAYNI, qui nuper in Gallia, Concilioq; Tridentino doctrinã, religionemque toti orbi testatam, sedi Apostolicæ probasset.

Igitur

Igitur pridie Cal. Sextilis, quo die octauo ante anno, eo ipso in loco, ex hac vita in beatorum sedes societatis Princeps Ignatius cõmigrarat. Pius Pont. domum sociorum ingressus, vt suppellectilem, tenuem quidem illam, sed mundam spectaret, doctoresq; audiret. Imperat onus illud seminarij administrandi ne detrectent: id è re Ecclesiæ Catholicæ futurum. Parent socij; mox patrono, Sabello Cardinali, Pontificis Legato, adscito: ea tamen lege, vt animorum, & disciplinarum, iuuentutisque instituendæ curam duntaxat gererent ipsi: rem vero familiarem tuendam mandarent alijs, ne quæstũ socij inopiæ studiosi captare viderentur. His tantum abfuit vt animi placati fuerint, vt iniecto veluti oleo ignis, odia, seditionesque creuerint. Ausi iam audacius probra, atque infanda flagitia nunquam patrata, sed domi conficta, in socios iacere, præsertim in LAYNEM, innocentissimum virum, senioresque sacerdotes. Famosos ad hæc libellos, schedasque non Romæ

ſolum, ſed & per Italiæ vrbes, & trans alpes ſpargere, litteraſq; contumeliarum refertas diſſeminare applaudentibus hæreticis; qui his atrociora mēdacia adſingebant, quod ſocietate quā peſsimè oderāt, exſtincta, præclarius ſecum actū iri confiderēt. Pius vero Pontifex re mature comperta, è veſtigio, pro eo ac debuit, indoluit vehementer: remedium adhibuit: Cardinaliū Collegio, cui Romanæ vrbis adminiſtrādæ cura incumbit, mandat, diligēter inquirāt in ſceleris auctores, & animaduertant, rem gnauiter inueſtigēt, donec ad verum euadant. Auiti per viatores, & ſiſtere ſe in iudicio iuſsi famoſorū libellorum auctores. Teſtes ab his ſubornati, plerique perturbatione animi, infeſta in ſocios voluntate: alij, quod ab illo vitæ inſtituto fœdè deſciuerant: cæteri, quod Germanico è Collegio, merito ſuo pulſi, iniuriam, vt ipſi interpretabantur, alta mente retinentes, excidere non paterentur: ſed non mirum, calumniam Quæſitóribus

ribus cito perſpectam, dum pugnantia, teſtes, adferunt, ſeque ipſi, vt fit, refellunt (ſolet enim in auctoris caput malum recidere) ſocietatis vero innocentiam, fidemque, ſartam tectam, etiam ipſis tacentibus, publice conſtitiſſe. Gratulari itaque LAYNI ſocijſque Cardinales: cæterique bene in ſocietatem animati. Calumniæ, Tempeſtatiſque auctor, Pontificis iuſſu, annuo cenſu exutus, vixit priuatus, à vinculis etiam pœnaque, deprecantibus (quos læſerat) ſocijs, liber. LAYNIS tum patientia, animique in aduerſis cōſtantia, enituit: aduerſarios vero non modo nō odio, ſed & beneuolentia proſecutus, gratiam illis habuit, & amauit quod exercitum ſe habuiſſent, probaſſentq;. Plus enim commodi adferre inimici ſolent, tametſi nolint, ignorentque ipſi, dum quos lædere, ac præmere ſtudent, clariores bonis omnibus, illuſtrioresque reddunt. Pontifex Pius, non Romæ ſolum, omnique adeo Italia, ſilētiū æmulis indixiſſe cōtentus, trans alpes etiam, quo maledicentiæ

virus penetrarat, literas honoris plenas & amoris ad Cæsarem Maximilianum dedit: quarum formula in manibus est, in eandemque sententiã fere ad omnes Germaniæ Principes, qui bene de religione sentirent, & Antistites: docet socios crimine vacare, quod sparsum in vulgus esset, dolere; calumniam ab æmulis confictam, tandem esse dilutam. Rogare itaq; & iubere, non solum susciperent socios libenter, sed etiam pro vetere in auitam religionem studio, vt antea in Domino amplecterentur, fouerent, ac proueherent, experti pridem re ipsa sociorum fidem, doctrinam, vtilitatem, ac vigilantiam, sic ille, Dei benignitate tempestatis globus disiectus, in tranquillitatem, otiumque vertit, LAYNIS potissimum constantia, sociorum item patientia, precibusque ad Deum fusis, Pius deinde suam in socios beneuolentiam auxit: qui & ante ortam illam tempestatẽ Tusculi in æstiuis agens, accepto nuncio de Alberti Cardinalis Carpensis (qui societatis patro-

cinium

ciniū viuens gesserat) pręsente LAYNE, socijsque deliberātibus, ecquisnam ex illo Collegio Patrum idem munus suscipere, aut vellet, aut posset; subiecit Pontifex, securo animo essent, non frustra sudarent, societatis se patronum fore: vt & Alexandrum quartum Pontificem, sodalium beati Francisci patrociniū olim gessisse Annalibus proditum memoriæ accepimus.

Petri Venusti è Societate in Sicilia cædes.

CAP. XI.

DVm hæc Romæ geruntur, apud Siculos per idem tempus atrox facinus in societatis sacerdotem cōmissum, cædesque illata, quam eo potissimum consilio referam, vt virtutem vbique inuisam esse, quiuis agnoscat. Biuonę non procul Panormo, Collegium socijs Isabella, Ioannis Vegæ clarissimi viri filia, & Petri Lunæ eius ditionis Ducis vxor cōstituerat, regebat id temporis socios Petrus Venustus, Italus. Hic morum fa- 1564.

cilitate, pietatisque studijs omnium incolarum animos facilè sibi adiunxerat, vt parentis eum loco ducerent. Saluos omnes, quibus vteretur familiariter, cupiebat; in his & sacerdos quidã, honesto ciue Biuonæ natus, de quo bene meritus Venustus erat. At pellicis ille impudicis amoribus vsq; eo irretitus viuebat, vt existimationis, salutisq; adeo iacturam posthaberet, offendiculo ceteris esset. Hunc ad frugem, continentiamq; traducere, hortando, rogãdo frustra Venustus tentarat: surdo enim fabulam narrare visus, vt fit, dum inueterauit vitiũ, callumque peccans obduxit. Quæri iam ab officiorum magistro Episcopi auctoritate, & inquiri in se, moresq; suos inaudierat: ratus, quod contra erat, accusatũ se à Venusto religoso viro, necem illi, qui vitã adferre studeret, serio cogitat: ꝑturbatus enim animus, ac furens, & libidine pręceps datus rectum, verumque videre non potest. Igitur insidias comparat, tempus cædi oportunum captat. Ex ante
1564. diem 14. kal. Nouemb. anni 1564. dum
ruri

ruri valetudinis gratia domum fessus redit Petrus, horarum preces è libello recitans, propter viam latentem in dumis, qui cędem cogitabat, sacerdotem conspicatus, comiter salutat. Ille odio medici, vt amentes solent, furens, nec opinātem à tergo aggressus capiti fulcato ense ter vulnus infligit, affligitque seminecem ad terrā: vt in sanguine natās, Iesu nomen dulce inuocarit assiduè: in pedes interea sicarius se dedit, viatores, & è vicinis locis agrestes occurrunt, domum agnitū portant: rogant, nosset ne percussorem? annuit ille. Nomen verò interrogatus prodere noluit: Christi non immemor, qui pro necis auctoribus Patrem, animam agens est deprecatus. Identidē & illud repetijt venustus: *Sinite abire: Dominus illi ignoscat.* Et pro illo precibus fusis Deo spiritū reddidit: sacris eo die, vt quotidie soleret operat[9]. Pridie ei[9] diei, festo D. Luc. die, ad socios verba faciēs Christi illa apud Lucā, quasi mortē præsagiēs explanarat: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Idē paucis ante diebus soci-

orum

orum in cœtu, singulatim interrogans, quo quisq; mortis genere martyrij coronam Deo bene iuuãte, consequi vellet, sententiæ ad se dicendæ ordine delato: *Si ad summum*, inquit, *Dei benignitate, laureolæ decus aspirare queã, equidẽ capite plecti, sanctissimorũ virorũ, Baptistæ, & Pauli, vẽstigijs insistens, vehementer exoptem*: augurãs, quod euenit, fore vt vulnere accepto secundum caput occumberet. Natus autem in extremis Cisalpinæ Italorum Galliæ oris, non procul Heluetiorum, Rhetorumq; finibus. Annum agens tertium, & vigesimum societati sese, salutis quærendæ, adiunxit. Romæ æterna, sanctaque in vrbe, prima pietatis tirocinia posuit, anno (opinor) salutis 1546. Hinc Patauium ad vberiorem ingenij cultum à Moderatoribus missus, licet mediocri ingenio esset, labore tamen, constantiaque non mediocriter profecit: vtrobique certè hominis pietas, atque obedientia enituit. In Siciliam prouinciam tertio post anno missus; quo

Panor-

Panormitanum sociorũ Collegium, ductu Petri Ribadeneyræ, cùm cæteris constitueret: sorte illi obuenit, pueros prima latinæ linguæ rudimẽta docẽdi munus; quod ea modestia, suique contemptu gessit, vt hoc vnũ, pueros ad Christum manu docendos esse, cœlique amorem teneræ ætati inserendum, propositum, præterea nihil, habuisse videretur. Aberat enim procul à fastu, inanisque gloriæ studio. De hinc aures vitæ noxas confitentibus assiduè dedit, & concionibus, morumq; suauitate Christo plerosque lucrifecit. Socijs deinde tironibus in Sicilia Præfectus, facilitatem grauitate sic temperauit, vt quod perdifficilè putatur, sit consecutus, vt amori simul, & venerationi esset. Panormi Deo sacratarum virginum gynæceum à veteri continentiæ disciplina hominum vitio mirificè degenerarat, sermonemque ciuibus dederat. Archiepiscopus itaque, & Ioãnes Vega, qui pro Rege eam insulam administrabat, cœnobium instaurari sociorum opera, vt castæ ibi, nobilesque

q́ue virgines liberaliter educarētur, exoptabat. Ei muneri Petrus Venustus ſacerdos præficitur: quod ea fide, induſtria, diligentiaq́ue obiuit, vt ad frugē reuocatis alijs, alijs loco pulſis nouā veluti virginum Coloniam deduxerit: hodieq́ue domus optime audiens ſeueræ diſciplinę ſpecimen ceteris præbeat. His experimentis diù, multumq́; probatus, Birionenſi Collegio à LAYNE Rector datus, ſocijs exēplo pietatis piuit, externos re, cōſilioq́;, quoad vixit, iuuit: vt ab omnibus ex æquo parētis loco duceretur, extra vnum illum percuſſorem, qui amens libidine, vt ante dixit, præcipitauit. Declarauit hoc communis populi luctus, atque mœſtitia in funere; elatus enim honorificè ciuium frequenti, & Monachorum conuētu: exequijs in æde ſumma decoratus: condere ibidem, humoq́ue mandare corpus cuncti exoptabant, retinentibus ſocijs, qui domeſtico ſepulcro intulerunt. Incolis perſuaſum erat, fore, vt atroci caſu deterriti ſocij alio migrarent: at vbi patientia ſimul,

simul, & mãsuetudo nostrorum perspecta, non mediocris ad pristinum erga socios amorẽ facta accessio est: humusque sanguine tincta, fructus deinceps animorum extulit vberiores. Nunc ad LAYNEM redeamus.

Collegijs iterum aucta Societas.

CAP. XII.

GYmnasium Dilingæ inchoarat Otho Truchsius Cardinalis Augustanus, vt supra demonstratum, auctoritatem, consiliumq; secutus Theologorum insignium Petri Soto, è familia D. Dominici, & Martini Olauij, (qui post societati adscriptus est) qui tanquam paries obijceretur, hæreticorum nascenti furori. Verùm vt multa in res humanas incurrunt, ad paucos Gymnasium recidit: visum itaque optimum factum Cardinalis Socios in vacua vocare, Collegiumq; attribuere, hoc ipso tempore, anni 1563. vt & suos ibi Germanorumque iuuentutem optimis, & moribus, & fidei doctrina cum litteris, ac disci- 1563.

plinis

plinis informarent. Apud Sarmatas quoque, qui Poloni hodie nominantur, in ipsis Boreæ terris frigore damnatis, Stanislaus Hosius, vir ob singularem sapientiam, eloquentiamque cum pietatis studio coniunctam ex Varmiensi Episcopo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, per hæc tempora Tridentino Concilio nō solum interfuit, sed & Pij quarti Pontificis nomine pręfuit. Is captus LAYNIS & Salmeronis sociorum ingenti studio, ob perspectam Tridentina in Synodo singularem vtriusque doctrinam; dimisso conuentu, domum reuersus, in sequenti anno nihil duxit antiquius, quam vt Bransbergæ, (quę vrbs Prussiæ prouinciæ, Poloniæ Regi addictæ, Varmiensis est diœcesis) Collegium socijs institueret: ratus quod erat tuendæ religionis auitæ apud Prussios, necessarium esse piam iuuentutis institutionē. Eo ipso quarto, & sexagesimo anno, Roma socij, tanquam in coloniam Mediolanum profecti, à Carolo Borromęo, innocētissimæ vitę Cardinali euocati, cō-

dito

dito Collegio. Ad Diuum Fidelem morati primũ ſocij, quod Collegium tunc in profeſſorum domum vertit, cum Bredanum cœnobium collegæ noſtri occuparunt, quod Humiliatorum, vt vocant, domicilium olim fuerat: quam quidem familiam non ita multo poſt, vt religioſæ diſciplinæ minus obſeruãtem, Pontifex ſanctiſſimus Pius V. ad paucos iam redactã aboleuit. Deinde ante diem V. Idus Octobris, Parmam item ex vrbe Roma miſſi ſocij, Octauij Farneſij Ducis voluntate, exædificato Collegio, ſocijſque humaniter habitis: quæ laus, & adorea propria pœne ac ſingularis Farneſiæ familiæ ſemper fuit. Antea, kalend. Octob. in magnam Græciam, quæ hodie Calabria eſt, Catacenſe in oppidum Roma itidem profecti ſocij, ex ærario publico educati ad obeunda, quæ nuper incolæ aſpexerant, ſocietatis officia. Per idem tempus, & in ea ipſa Calabriæ prouincia Rhegij Collegium cœpit: antiquum item ſocijs templum B. Gregorij per idoneo vrbis loco ſitum, attributum,

tributum, idque reipubl.commodo cum antea è S.Agathæ vico proximo (quem hæretica labes, pestisque infecerat) deprauatæ ibi opiniones disseminari cœpissent: quod cōtagium, ne latius serperet, subito tollendum Magistratus iudicauit. Siciliæ tamen sociorū prouinciæ idem atrributum Collegium, quod Neapoli longius, propius verò Messana abesset, freto duntaxat interiecto, & phaco; vt à Præpositis prouincialibus lustrari, obirique oportune posset. Transeo nunc ad Hispaniam. Gadibus, quę Insula Boeticæ obiacet, socijs alimēta, ædesque assignata, magno cleri studio, & insulanorum; qui ceteras pridem religiosorum hominum familias repudiassent. Missi in eā vineam Didacus Lopez, & Gregorius Mata sacerdotes: gnauiter vterq; quà concionando, quà hortando, erudiendoque pueros Catechesim elaborarunt. Didacus socijs eodem deductis primus cum imperio præfuit, post & Mexicanum Indiarum Collegiū tenens, mortem obijt. In Calaritanum
Sardinię

Sardiniæ insulæ Collegium Roma socij eo ipso anno missi a.d. 12 kalen. Octobris, quò primo profectum Petrum Spirgam Calaritanum supra ostendimus. lib.2.c.8.

LAYNIS morbus, & obitus.

CAP. XIII.

FRactus tandem magnis, varijsque laboribus LAYNES, & ætate fessus, in morbum grauem, lentumque incidit, recrudescentibus malis, quæ tot itineribus, studiorum, concionumque pertinaci labore, cuius solicitudine administrandæ societatis, publicisque negotijs obeundis, pridem contraxerat. Recreatus post meliuscule habere cœperat, cum iterum cōcionari, superioremque locum ascendere tentat: adeò iuuandæ Ecclesiæ Catholicæ desiderio flagrabat: vt tanquam gnauum militem, mors pugnantemque opprimeret. Inualuit iterum vis morbi grauior. Inaudierat tum forte

pro

pro incolumitate ſua, vitaque produ
cenda, non domi ſolum, ſed publicè
etiam vota concepta, ſupplicationeſ-
que ad templa Sanctorum indictas,
peregrinationes etiã religionis gra-
tia ab ijs ſuſceptas, qui illius ſtudio-
ſiſſimi, ſaluum, ſuperſtitemque vel-
lent. Indoluit hoc nũcio LAYNES
Phil 1. quod diſſolui, cum Paulo, corporis
vinculis eque cuſtodia abire vehe-
menter optaret: vt quem mortali in
vita in ſpeculo tantum, & ænigmate
vidiſſet, facie ad faciem aliquando
cerneret, vbi beati æuo fruũtur ſem-
piterno. Quare identidem illud v-
Luc.13. ſurpabat: *Vt quid ego adhuc terram
occupo?* Societati enim ſe iam inuti-
lem, minuſque frugi ſeruum appel-
lans, alteri locum, qui munus id ob-
iret felicius concedẽdum. Poſtquam
indies dolores, febremque, ſine ſpe
ſalutis augeri videt, nihilque reli-
quum factum ad ſanandum corpuſ-
culum; ſummam ad hæc curam dili-
gentiamque ſocios in valetudine ſua
tuenda adhibuiſſe, conſulendum ſibi
ratus, ante diem ſextum decimum
kalend.

kalend. Februarij de ante actæ vitæ erratis puriter confessus, cœlestem Angelorū panem viatici nomine se-rio postulans, summa pietate, ac reli-gione sumit. Postridie eius diei mis-sis socijs societatem Pio IV. Pontif. Max. qui eius iam patrocinium, vt di-xi, libens, nolensque susceperat vita decedēs, diligenter, pieq; cōmendat: veniam quoq; ex animo peccatorum postulat simul, & Apostolicam bene-dictionem. Dein oleo sacro inungi voluit, vt illo munitus sacramento cum dęmone postremum luctaretur. Hinc immortalitatis spe, æternæque beatitudinis desiderio plenus, Deum vitæ auctorē precatur, & amice com-pellat, fusis etiam vbertim lacrymis, vt exsulem se tandem aliquando in patriam reuocaret. Patientiæ tunc ea documenta ægrotus dedit, vt quæ sa-nus, valensque vitæ præcepta dedis-set, ea ad extremum vsque vitæ diem tenuisse satis ostenderit. Seniores so-cietatis patres, qui assistere in quoti-dianis deliberationibus soliti essent, orant atque obsecrant, vt extrema

pro incolumitate sua, vitaque produ cenda, non domi solum, sed publicè etiam vota concepta, supplicationesque ad templa Sanctorum indictas, peregrinationes etiã religionis gratia ab ijs susceptas, qui illius studiosissimi, saluum, superstitemque vellent. Indoluit hoc nũcio LAYNES

Phil 1. quod dissolui, cum Paulo, corporis vinculis eque custodia abire vehementer optaret: vt quem mortali in vita in speculo tantum, & ænigmate vidisset, facie ad faciem aliquando cerneret, vbi beati æuo fruũtur sempiterno. Quare identidem illud v-

Luc.13. surpabat: *Vt quid ego adhuc terram occupo?* Societati enim se iam inutilem, minusque frugi seruum appellans, alteri locum, qui munus id obiret felicius concedẽdum. Postquam indies dolores, febremque, sine spe salutis augeri videt, nihilque reliquum factum ad sanandum corpusculum; summam ad hæc curam diligentiamque socios in valetudine sua tuenda adhibuisse, consulendum sibi ratus, ante diem sextum decimum kalend.

kalend. Februarij de ante actæ vitæ erratis puriter confessus, cœlestem Angelorũ panem viatici nomine serio postulans, summa pietate, ac religione sumit. Postridie eius diei missis socijs societatem Pio IV. Pontif. Max. qui eius iam patrocinium, vt dixi, libens, nolensque susceperat vita decedẽs, diligenter, pieq; cõmendat: veniam quoq; ex animo peccatorum postulat simul, & Apostolicam benedictionem. Dein oleo sacro inungi voluit, vt illo munitus sacramento cum dęmone postremum luctaretur. Hinc immortalitatis spe, æternæque beatitudinis desiderio plenus, Deum vitæ auctorẽ precatur, & amice compellat, fusis etiam vbertim lacrymis, vt exsulem se tandem aliquando in patriam reuocaret. Patientiæ tunc ea documenta ægrotus dedit, vt quæ sanus, valensque vitæ præcepta dedisset, ea adextremum vsque vitæ diem tenuisse satis ostenderit. Seniores societatis patres, qui assistere in quotidianis deliberationibus soliti essent, orant atque obsecrant, vt extrema

 volun-

voluntate, quem ex omni numero vicariam ſocietati operam dare vellet, nominaret. Renuit verò, facturumque ſe negat, ſiue modeſtia, qua virtute enituit, ſiue quod Ignatium Loyolam idē recuſaſſe meminiſſet, ſeu vtroq; adductus. Rogatus ab ijſdem vt ſocietati, ſibique benediceret, tendens in cœlum oculos, & manus, aptrem luminum rogat, vt qui ſocietatis auctor eſſet, eamque ſtirpem, & vineam recēs ortam in Eccleſiæ horto plantaſſet, ſimul & rigaſſet, perque terrarum orbem longe, lateque propagaſſet, idem etiam miſericordiæ bono diuinitus hodierno die benediceret tueretur in aduerſis, & pro ueheret, ad maiora. Hinc ſereno vultu ac placido, Crucis ſigno bene cunctis precatus, Patres, qui aſſiſtere de more ſolerent, ſic appellat: *Vobis quoque Patres hanc ipſam ſocietatem commendatam habetote Ambitionem in primis fugiendam cenſeo, vt & diſcordiā, animorumq; diſſenſionem: coniunctionis enim ciuilis peſtes ea maxima*

sunt, eruntq́ semper. Cauenda deinde nationũ inter ipsas dissidia, & secessiões. idẽ itaq; omnes, nullo habito in societate gentium diuersarum discrimine, sapiant in Domino. His ferè verbis sui quẽque officij admonẽs, voce intercepta, respirãdiq́; vi impedita, silentiũ tenuit. Notarunt curiosi ab illo Franciscum Borgiam, qui animam agenti astabat fixis continenter oculis, adeo spectatum blande, atque hilariter, vt vel ea re societatem illi satis commendasse, murerique Præpositi generalis successurum illum augurari videretur. Biduum ferè amissa voce LAYNES iacuit: animo tamen in res diuinas intentus. Hora tandem noctis secunda, decimoquarto kalend. Februarij, anni 1565. vita hac mortali 1565
decessit tertio, & quinquagesimo ætatis anno: egregio socijs dato morum, vitæq́ue innocenter actæ exemplo, quod non mirentur solum, sed & imitẽtur posteri: Romãis verò ciuib. luctũ, suiq́; ingens desideriũ reliquit. Memoriæ proditum, auditumq́ue ex Cardinalib⁹, multis retro annis, quot

Romæ transegerant, præstantis viri nullius perinde mortem dolori vrbi Romæ, atque LAYNIS extitisse: quod vt summopere, dum viueret, carus, acceptusque omnibus ille esset, sic & mors incredibilē omnibus mœstitiam attulerit. Alexādrinus etiam Cardinalis, qui è familia D. Dominici post ad Pontificatum virtutis via emersit, accepto de LAYNIS morte nuncio, meritò lugendū, Dei enim Ecclesiam eo die hasta, & scuto orbatam videri, pleno ore prædicauit. Conditum corpus tunc est in æde angusta, veterique Professorum societatis ad sinistrum altaris cornu, appositumque ad Ignatium Loyolam, qui ad dextrum sepultus iacebat: cum quo coniunctissime vixerat, & magistratum regendæ societatis proximè exceperat. Inde superiori tādem anno 1594. in nouum Farnesianum templum ad dextrum aræ maximæ latus à Patribus societatis translatus est: vbi cum Ignatio, & reliquis Præpositis generalibus futuræ spe resurrectionis quiescit.

Exe-

Exequiæ, iustaq; LAYNI etiam ab exteris persoluta.

CAP. XIV.

NEc Romæ solum funus honorificè elatum, sed ad omnes omnium prouinciarũ socios mors pertinens flebilis fuit, quod communem parentem amissum dolerent. nec socios tantũ dolor tangebat, exteri etiã pro veteri quæ cum illo fuerat necessitudine, luxerunt, exequiasque curarunt. In his duo cęteris antecellere visi. Pręsul alter, alter verò Marchio. Otho enim Truchsius Cardinalis, & Augustanus Episcop. Dilingæ, socijs attributo Collegio, acceptoque tristi de LAYNIS morte nuncio, eo se contulit è vestigio, vt consolationem socijs pręsens afferret: parẽtaret item iustaq; persolueret, cum socijs in triclinio domestica frugalique mensa contentus accubuit. Postridie eius diei in templo cenotaphiũ positum, non atra, pullaq; veste, sed purpurea tegendum mandauit: quod gratulandum sito, morte obita, pręedicaret, qui

his vitæ miserijs liber ad cœlũ euolasset; nos contra deplorandos, qui in hoc exsilio versamur existimabat: nostram quoq; sortem lugẽdam, qui & parentem, & Ecclesiæ propugnatorem amisissemus. Sacris hinc funeralibus ab eo solemni ritu peractis: surrexit mox orator, qui pro funere LAYNEM de more laudauit: Verũ quod non omnia, tam angustis horæ spatijs complexus esset, subiecit Cardinalis, duo, & quidem præcipua in Laynis laudatione prætermissa videri, quæ silentio præterire, conscius ipse & familiaris, salua religione nõ posset. In primis Cardinalis dignitatem oblatam serio fugisse LAYNEM, qua in re deprecanda, sua esset apud Paulum IV. Pontificem Max. opera vsus. quo iam fato functo illud accidit memorabile, duodecim suffragia Cardinalium, ad summum sacerdotem, nec opinantem, & absentem LAYNEM tulisse: vocatũ ea gratia se auctore in conclaue, fugaq; se proripuisse, ne, quod nollet, Pontifex renũciaretur. Deniq; floccifacere solitum,

ſolitum, hæreticorum oblatrantium calumnias, conuitia, & blaſphemias, qua erat animi celſitudine, & Eccleſię zelo præditus. Alter verò Franciſcus Mendozius, Marchio Almazanius, (quæ patria LAYNIS fuit) honeſtandum, & apud ſuos funus duxit, quod talem tantumq́; ciuē patria amiſiſſet. Vir erat præſtanti iudicio, Philippi Catholici Regis nomine legatione annos aliquot apud Cæſarē functus, & Prætor Nauarræ, Senatuſque regij Ordinum Præſes: cenotaphium, & ille in ditionis ſuæ æde ſumma, atq; adeo in tumulo maiorum ſuorū erexit: accitis vndiq; ſacerdotibꝰ, & pijs viris, non ſecus, atque ſi ad illum ditio pertineret, quod tali ciue meritó gloriaretur (Patriam enim ciuis, & contra ciuem patria illuſtrare conſueuit) propterea quod ſocietatem LAYNES, quam ſingulari ſtudio, beneuolentiaque complecteretur, illuſtraſſet, Tridentinamq́; Synodum præſens ornaſſet, omnemq́; adeo terrarum orbem vitæ innocentia, ingenio, doctrinaque impleſſet.

Corporis habitus, ingenium, atque doctrina.

CAP. XV.

CORpore medioeri fuit, pallida facie: vultu tamen hilari, & renidenti similis. Naso oblongo, & aquilino. Oculi grandes, clari, & mobiles, corpusculum non robustum, vt athlethę, bene tamen compactũ. Pectus amplum, magnus item animus, qui ferè pusillo in corpore existere solet. Ingenium illi viludum, ingẽs, excellens, acre, vehemens, subtile, clarum, & firmũ. Res propositas, quæ in dubiũ vocarentur, ciira animi meditationem, notione súe apprehẽdere ex tẽpore solitus. Legendi cupiditas, expleri non poterat; quo fiebat, vt libros integros breui in compendium redactos, memoriæ gratia, optima quæque in aduersaria referẽdo, transcriberet. Sic & artium omniũ liberalium scriptores exhauserat, nihil vt ignoraret, & quod disceret, deesset. Sacrarũ tamen litterarũ lectione potissimũ delectabatur, vt diuinam scri-

pturam

pturam de manu nunquã deponeret, nisi forte rebus gerendis necessario auocaretur. Eos autem processus in studijs fecisse, mirabãtur omnes, cum & negotijs frequenter interpellaretur, quæ Ecclesiæ Catholicæ, Reiquepublicæ, & societatis nomine gessit; mutatis plerunque sedibus; & in Xenodochijs nostrorũ more versaretur. Nimirum Deus gratiam diuinitus, sapientiamque infuderat, vt citius, firmiusque disceret; simul & retineret. Itaq; ferè comparatum, vt qui libris non proprijs religiosorũ hominum more vtantur, ij & legant omnia, & celerius apprehendant, atq; retineãt, quã qui domi, in bibliothecas se abdentes, libris confidunt, ignauiamq; alunt; eius rei argumentum dedit LAYNES. Pauauij enim Collegium sociorum administrans; intra paucos dies, licet concionibus, & cõfessionibus intentus, Alfonsi Tostati, volumẽ vnum de multis, non euoluit solum, sed & manu sua, via, & ratione adhibita in Epitomẽ redegit. Basenti item in oppido verno, dierum quadragin-

 ta ie-

ta ieiunio, quotidiana abſtinentia, publiciſq; cõcionibus, Conciliorum tomos omnes attẽte euoluit. Sententias plerunque in aduerſaria referre ſolitus, quibus (vt Alfonſo Salmeroni ſodali ſuo reſpondiſſe accepimus) vel axiomata cõtinerentur hæreticis refellendis: vel ijs, quæ contra obijci poſſent occurreretur: vel deniq; Canones Synodorũ illuſtrarentur. Singularis verò doctrinæ ſpecimẽ dabat & concionando, & cum hæreticis diſputando, cõſultus item ſępenumero de controuerſijs ambiguis: tum verò maxime enituit, vt demonſtrauimus in Synodo Tridentina. Puer etiã tum incredibili flagrabat ſapiẽtiæ ſtudio, quæ cupiditas cum ætate auxit, vt etiam adoleſcens eum à Deo, qui auctor eſt Sapientiæ, precibus, Salomonis exemplo, poſtularet. Grandior natu eam adeptus eſt, ingenti eorum, qui illum audirent, potiſſimum verò doctorum hominum admiratione. Ingenium eius cùm vbique clareſcere, (potiſſimum tamen, ſi quid nouum, difficilè, inauditumque, nec ab alijs

ab alijs pertractatum, in controuersiam vocaretur) tum maximè mentis aciem intendere, & quasi excitari videbatur: adeò eleganter, copiosè, atque disertè, quæ inuenisset disponere, eloqui, & acutè dijudicare solitus, vt cùm alibi semper hisce artibus disserendo, ceteros facilè vinceret, hic se ipse etiam superaret. Neque in Scholarum quæstionibus duntaxat tractandis valuit LAYNES, sed in rebus etiam gerendis idem acumen adhibuit, iudiciumque attulit: siue cum Pontificibus, Principibus, Magistratibus, de rebus publicis ageret, siue consultando, sententijsque dicendis: præsertim Præpositus cum esset generalis: verùm semper à falso discernens, & ad rem, quæ facerent, ostendens; & verum plerumque de rebus iudicium ferens. In deliberationibus verò ita excelluit, vt sententia ab illo, ordine & perspicuè pronunciata, nullus amplius relictus fuerit dubitandi locus. Perspicuitas item, quæ Rhetorum filijs prima

dicendi virtus est, tanta in LAYNE, vt siue cum doctissimis hominib⁹ in veri inuestigatione disserendo versaretur; siue ad populum de superiore loco verbum Dei concionando explanaret; seu denique cum imperita plebe ageret, adeò dilucidè sensa mentis efferre, sententiamque dicere consueuerit, vt ab omnibus ex æquo intelligeretur: quodque perdifficilè semper est habitum, verborum copia, ac methodo id consequebatur, vt obscura clarè, abdita perspicuè, ignota intelligenter, prisca noue, omnia denique venustè proferret; oculisque veluti subiecta repræsentaret: spinosa etiam, quæ in Theologorum scholis, & hæreticorum controuersijs proponi solent, sic omnem in partem perspicuè disputabat, vt ab indoctis etiam intelligeretur: Obscura, si quæ, vt fit, in scriptoribus occurrerent, subito intellecta, quasi à se excogitata, alijs verbis clarius efferebat.

Præ-

Præstantium virtutum exempla.

CAP. XVI.

QVanquam vero Dei, naturæque beneficio, bonis hisce artibus præditus LAYNES, qui doctrina societatem, vt pietate Ignatius, vehementer illustrauit, tamen & precationi, meditationiq; pleraq; accepta referebat. Oratione enim libenter cum Deo colloquebatur, medias inter negotiorum, quibus assidue distinebatur, molestias. Igitur siue priuata, siue publica, siue sua, siue aliena res gereretur, siue aduersa, siue secunda inciderent, precibus ad Deum, tanquam portum, sic ab Ignatio edoctus, confugiebat. Vt vero melius oratio absq; animi euagatione procederet, se ipse in dies frequenter ad vnguem explorare: Cæteris, si quid deliquissent, ignoscere, sibi nunquam: Simplicitate morum, & candore præditis, & pietati deditis, libentius vti, colloqui, & fidere. Quin & asceticos (sic n. cum Basilio magno appellandos cēseo) ad spiritus exercitationē libellos

libenter manibus tractare, & legere, ſtyli humilitatem minime faſtidire, quod mores potius inſtruant, quam acutè concluſis argumentis mentem imbuant. His ad vitam moreſq; formandos, ſuo, aliorumq́ue commodo ducibus vtebatur. Licet verò ingenio eſſet præſtanti iuxta, ac perſpicuo, religione tamen, ſcrupuliſq; aliquandiu agitatus eſt, quæ mentem ſed non ita diu, excruciarunt.

Cum vitia omnia à puero deteſtatus eſſet, tum vero libidinem maximè, corporiſque voluptatem, vt malorum eſcam vitauit. Quo fiebat, vt adhuc puer deprauatos & impuros ſermones repudiaret. Vixiſſe ad extremum vſque vitæ diem ferunt, Dei benignitate, ſumma continentia, & integritate. Ineeſſerat forte adoleſcenti Religio, cum illa in templo recitari verba audiſſet: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: ecquæ nam crux, quam geſtare iubeat Chriſtus, cæteris eſſet grauior, venit in meutem, coniugium

Matt.16.

videri

videri: in quo vitæ genere multa insint acerba, atque incommoda. Animum itaque ad vxoriam rem tum appulerat: verum cum ætate crescente iudicio, puduit illum consilij, seque postea irridebat. Corpus Spiritu, rectæque rationi ita subiecerat, domitasque animi perturbationes habebat, vt, si quando carnis illecebris tentaretur, facilè Dei ope superaret. Quare quod de Bonauentura Alexander Alensis dixisse fertur in Adam minime peccasse, idem penè de LAYNE affirmare liceat. Romæ viuens concionatus erat, frequenti corona, admirationeque hominum cum fornicationis spiritus muliebri credo habitu LAYNEM adoritur, vt loco, castitateque depellat. Muliercula enim, quæ corpore quæstum faceret solum sine arbitris procaciter libidinoseque compellat: amorem quo illum deperiret, detegit, & verecundiæ semel fines transgressa, lasciuit, blanditur, delinimenta adhibet, rogat, obestatur. Quem non hæc, quamuis fortem,

fortem, deijciant. At ille Deum virginitatis auctorem, matremq; eius in his malis inuocat. Obfirmato dehinc animo impudentiam reprehēdit, obiurgat, pudorem incutit, Deum respicere, mortisq; meminisse iubet. Sic victor è palæstra Deo bene iuuante discessit Petro Reybaudenæ sacerdoti eadem post narrans, melius tutiusq; fore affirmat, si quis non dissimilis casus incideret, aures digito obturare, locumq; extemplo mutare, castimoniæ suæ diffidendo, ne blandæ illæ Sirenum voces, ad animum penetrantes incautum vulnerarent, vel in posterū, vt fit, fœda simulachra animo casto obijcerent. Hinc nimirū Paulum à cæteris quidem abstinere vitijs, fugere verò fornicationem iussisse. Quippe alibi pugnando, & resistendo, hic fuga potissimùm victoria paranti: Idem Iosephum, Thomam Aquinatem: cæterosque innumerabiles reipsa præstitisse. Vincere se ipse solitus, flagellis sæpe verberare, sordida veste, attritaque delectari, quæ tegeret corpus, non ornaret. Inopiæ

imprimis

imprimis amans, vt loculos, crumenāque nunquam geſtarit: nihil vnquā obſeratum (ne publicam quidem perſonā ſuſtinens) clauſumve habuerit, præter ſchedas arcanorum & officiorum. Cum profeſſorum initio domus rerum omnium, & librorum inopia laboraret, Collegium frequenter adijt: rogat vtendos libros daret: portat ingentia etiam volumina ſub alis: comiti tametſi poſtulanti tradere detrectat, affirmans librorum, qui multa in dies doceant, pondus non oneri, ſed honori eſſe. Propoſui temperantiæ exempla, nunc fortitudinis, quæ in aduerſis tolerandis, honorumque contemptu enituit, colligam. Excelſo illo animo res caducas contemnere, infraq; ſe ducere, pericula, mortemq; non metuere. Vlcera, vulneraq; tametſi inhumani ſpectaculi, curare non defugit. Tempeſtates maritimo itinere, trepidantibus etiam fortibus, nihil formidauit, ſumma qua erat animi fortitudine præditus. Noctu iter faciens per medias prædonum, & hæreticorum inſidias, vt nudus viator ambu-

ambulabat. Nec minor in acerbis tolerandis constantia, siue pro fide maiorum, ac veritate niteretur; siue hæreticis responderet. Principum minis non terreri; promissis blandisque sermonibus non frangi; multo etiam minus à verò abduci se patiebatur, vt de Gallicis comitijs, & Tridentina synodo diximus. Eandem animi magnitudinem tenuit, cùm Præpositus Generalis exortas in Societatem tempestates fortiter sustulit, constanterque superauit. In morbis quoque omnibus eius patientia eluxit; tum verò maximè, cùm morti vicinus ad suggestum concionandi gratia ferri se iuberet; affirmans Christi militem in vita otium, ignauiamque, pestes animorum fugere, pugnantem verò & armatũ occumbere oportere. Hanc animi celsitudinem Modestia, Humilitasque, verè Christiana virtus, excipiebat. Seipsum itaque probè cognitum habens, pro nihilo ducere, mendicare etiam libenter, stipemque precario petere: edere panis frusta; mendicis,

ægrotisq́; in Xenodochijs miniſtrare; munera, quæ deſpicatui alij ducerẽt, hilariter obire. Italię prouinciã, cum Præpoſitus adminiſtraret, tirones ſocietatis, quos Chriſto ipſe lucri fecerat, iter dum facerent, excalceare veſperi ſolitus, lectumq́ue eiſdem ſternere: ipſe in ſella amictus ſomnum capere. Cum ſimplicibus, vt oſtendi, libenter colloqui, lectitareq́ue id genus aſceticos libellos conſueuit.

Ab ambitione vſq; eo alienus fuit, vt nihil ſupra. Decumbens enim ſine ſalutis ſpe; Ignatio recens extincto, Vicarius rei ignarus delectus eſt: Poſt etiam inuitus Præpoſitus Generalis renunciatus. Pridie eius diei munus tergiuerſando defugere, flagellis ſe verberans, plorans, opemq́ue implorans diuinam deprecabatur prouinciam, plenam quidem honoris, ſed oneris maioris, ac laboris. Triennio iam Societate adminiſtrata, req́ue benè geſta, abdicare ſe nequicquam ſtuduit Magiſtratu, alteri libentius locum ceſſurus: Verùm euicit tandem Pij Quarti Pontifex

Max.

Max. auctoritas, ne abdicaret. Extra societatem dignitates quoq; cõstanter repudiauit. Balearium Episcopus dignitate illi cedere cupiebat, Pontificem rogans, ratum id esse vellet, Laynemque sibi, qui dignior eo munere esset sufficeret. At recusauit ille honorem, imo & Pisanum Archiepiscopatum offerente Etruriæ Duce. Ne Cardinalium se Collegio Paulus IV. qui id serio agebat, adscriberet, quid non egit, dixit, tulit LAYNES? Quin & Pontifex ne crearetur, fuga quasi periculum declinauit, cum iam amplius duodecim Cardinalium suffragia tulisset. Modestia, animique demissio summa, quæ & morum facilitatem illi attulit, quam & grauitas, maturitasque condiebat, vt nescias amori ne pluribus, an admirationi fuerit. Ad omnium se ingenia facilè aptare, sermonemq; prudenter temperare. Cum pietati deditis de rebus sacris, cum eruditis docta colloquia miscere: cum milite de re militari, cum fabris de re fabrili agere, vt mox tamen de Deo sermo subijceretur.

Quo-

Quo artificio plerosque Christo Pauli exemplo, qui omnia omnibus, factus est, lucri fecit. Ad hæc omnium facile animos sibi deuinxit, atque retinuit: cum & admirarentur singuli, quasi hisce artibus ætatẽ traduxisset. Quo fiebat vt & summæ scientiæ opinionem collegerit, & collectam seruarit. Quæ quidem morum facilitas, illius erga alios amorem, vel potius pietatem sic auxerat, vt omnibus ex æquo prodesse, in aduersis præsertim opportune studeret. Cuius rei documentum hoc erit. Florentia Romam proficiscenti, in vico sancti Casſiani cognomento, octo passuum millibus sito, occurrit miles Hispanus, qui è bello Senensi, criminis reus ad suppliciũ trahebatur. Agnouit hominem LAYNES, quod olim aures confitenti dedisset: sistere lictores iubet atq; expectare dum Florentiam ad Etruriæ Ducem Tabellarium mittat. Hic reuersus militem liberum abire iubet, maiorum imperijs. Lætus ille & gaudio exiliens gratias agit quod orci faucibus ereptus LAYNIS opera esset, mox 1.Cor. 10.

mox ab eodem viatici parte dimittitur; reliquã enim Tabellario impenderat. Talis erga exteros acerbis in rebus: in domesticos verò maior eius beneuolenria exstitit. Hanc ipsam comitatem seueritate, cum res flagitaret, temperauit: in ijs præsertim hominibus, qui pacem quietemq́ue & fratrum concordiam, disseminatis seditiosis vocibus, turbarent: quiq́ue licet affines essent, non rectè officium facerent: cæteris vt exemplum daret, qui Societatem aliquando essent administraturi. Nationes sine discrimine dum vixit in domino amplexus: exteros etiam benignius accepit, quà re, quà verbo, admonens in societate nullum esse gentium nationumq́ue delectum habendum: nihilq́ue interesse, vt Paulus ait, Scythane an Barbarus, Gallusne an Germanus, Lusitanus an Hispanus esset. Tum enim beatam fore Societatis rempublic. dum omnibus anima vna & cor vnum, vt initio nascentis Ecclesiæ, adesset. Blande omnes excipere, qui

Colos.3.

Act.4.

qui vel afflicta fortuna ad illum confugerent, vel facti pœnitentia ducti de anteactæ vitæ criminibus confiteri vellent: paterno item amore, quomodo & resipiscentes Deus accipere solet. Duo potissimum hominum vitia detestari se prædicabat. Alterum eorum qui Simonis Magi labe infecti, Christi patrimonium pretio & emerent & venderent, pauperum panem deuorarent, & sanguinem haurirent. Hi quoties confessuri de peccatis accederent, horrore concuti affirmabat. Alterum hæreticorum vitium, qui falsa religionis specie atque colore respub. Regnaque pessundant, vrbes seditionibus euertunt, pacemque & quietem turbant: & quod his detestandum magis à vera fidei salutisque via animos abducunt, errorumque laqueis, quibus seipsi prius induerunt, alios captant. Charitatis hæc LAYNIS argumenta suppetunt. Publicis impeditus negotijs, de proximorum nihilominus salute satagebat conciones confessio- Act. 5.

fesſioneſque aſsiduè tractare, vt imperitum vulgus docendo in viam reduceret. Sæpè etiam corporis imbecillitate ſociorum manibus, morti etiam tum vicinus, in ſuggeſtū elatus. Italiam hiſce officijs dum luſtrat, noctes ſæpe diebus coniunxit, cibi oblitus & ſomni, aiebat nullas eſſe epularum lautitias, deliciaſque cum eo ſpectaculo, quod pijs peccator reſipiſcens, erratique poenitens & flens, afferre ſolet, comparandas. Vt enim Chriſti cibus erat æterno parenti obſequi, ſic & hæc vere pios alunt, Deo gloriam tribui, coli, atque adorari: regnum Chriſti florere, Dæmonis verò extingui. Virginis Deiparæ perſtudioſus vixit, ſenſitq; opem non raro. Tridentum iterum reuerſus, cū febri laboraret quartana, agereturq; à Cōcilij Patribus de virginis conceptione, ſententiam dicturus de eius puritate, qua omnis culpæ etiam originis maculæ expers fuit: præfatus ſe ob valetudinem tribus dumtaxat verbis acturum, locum alijs ceſſurum: vbi dicendo incaluit, tres ipſas horas exemit,

emit, vt ad extremum validius quàm initio dixisse videretur, quod virgini cuius res agebatur, acceptum retulit: effectumque illo auctore, vt in eam sententiam Patres ierint Sixti IIII Pont. Max. hac ipsa de re decretum esse seruandum.

Societatem mirificè auxit etiam Prouincijs.

CAP. XVII.

HIs rebus ita gestis, efficitur proxime ab Ignatio LAYNEM, vt tempore sic & meritis societatem vehementer ampliasse, confirmasse, & vitæ exemplo, re, consilio, doctrina, administrandique ratione exornasse, concionibus adhæc & disputationibus Italiam bonæ existimationis odore impleuisse: societatem deniq; recens natam in vulgus commendasse. Tridentina in synodo clarum veluti sidus emicuit Inopiæ verò studijs, & lacrymis ea tum semina sparsit, quæ nunc cum gaudio postumi socij fructuose colligunt. Certè Italiæ pleraq; Collegia origines suas

hodieq; & incrementa LAYNI acceptareferunt. Apostolicæ Sedis patrocinium, quo societatẽ adhuc Pontifices fouent, iuuantq; obnixè meritis eius debetur, qui Sedis Pontificiæ sic vicissim auctoritatem, tanquam pro aris, & focis dimicans, ab hæreticorum calumnijs vindicauit. Idem Cardinaliũ animos; & Episcoporum socijs adiunxit, igitur Ignatius æquus rerum æstimator de LAYNE nondũ societatem gubernante, sic prædicare solitus: nemini mortalium societatẽ amplius debituram quàm LAYNI: proxime verò Francisco Xauerio: qui primus Sociorum in Indiam Euangelium portauit; Post autem Præpositus Generalis LAYNES, amplius societatem auxit, non domicilijs modo & Collegijs, sed & quæ his constant, Prouincijs. Italia enim in duas tunc diuisa; Cisalpinæ Galliç, seu Insubrũ, & Etruriæ seu Romanæ. In Hispania item duplex Prouincia facta: Castellæ veteris & nouæ, quæ Toletani regni est. Gallia quoq; bipartito diuisa, in Franciæ & Aquitaniæ Prouincias:

Belgica

LIBER IV.

DE VITA,

OBITV, ET SCRIPTIS ALPHONSI, SALmeronis,

VNIVS E DECEM PRIMIS *beati Ignatij Loyolæ socijs:*

Pet. Ribadeneyra Toletanus Societatis IESV presbyter Hispanice, latine vero And. Schottus soc. IESV conscribebat.



Lphonsus Salmeron, Toleti (quæ vrbs olim Carpetanorum, nunc regni Castellæ nouæ caput, Regumq; Gothicis temporibus sedes) natus est, ante diem sextum Idus Septembris anni Millesimi Quingentesimi decimi quinti, tenuibus quidem parentibus, at honestis. Patrem nomine retulit: mater illi Marina Diaz fuit, Toletani agri pagis, Olias & Magano vterque oriundus, filium in-

 genuè,

moresq́; hominũ, ingenia, & vrbes videret: scholas, bibliothecasq́ discendi flagrans cupiditate lustraret. Sic enim sapientiam tanquam è terræ venis laborando, hauriri, prudentiamq́; peregrinando parari inaudierat. Hic Ignatium Loyolam tanquã vitæ, consiliorumq́; ducem nactus, in illius se disciplinam exemplo LAYNIS tradidit: cuius etiam noscendi gratia, famæ adhuc celebritate in Hispania vigente eodem accesserat. Confectis & hic Theologiæ spatijs, cum cæteris ad Ignatium adiunctis socijs, Lutetia pedibus iter faciens; in Italiam venit ante diem 17. Kalen. Decembris anni 1536. euocatus cum alijs ab Ignatio Venetias. Hic tum in Nosocomio ægrotis, & inopibus ministrauit: inde Romam nondum à se visam contendit, reuersusque Venetias sacris rite initiari cœpit. Dehinc Monte Celso in oppido, vna cum Frãcisco Xauerio, post etiam Senis cum Paschasio Broeto Ambianensi vilibus sese officijs, pietatis tamen, & amoris plenis, exercuit, societatẽ vna constituit, Igna-

riumque suffragio cum cæteris, & LAYNEM inde præpositum Generalem creauit: quæ officia in vita vtriusque Præpositi tractata prudens omitto: quare non hic communia omnium Sociorum colligam, sed quæ Salmeroni propria, seligam.

Ante diem quartum Idus Septembris, anni humanæ salutis, 1541 in Hi-
1541. berniam Pauli III. Pontificis Max. auctoritate Nuncij Apostolici potestate, Roma cum Paschasio mittitur. Quæ nō hic pericula terra, mariq; adierunt? illinc à Gallia, quæ bello tum flagrabat intestino, hinc à Britannicis nautis. Certe victus sæpenumero, stratumq; quieti defuit, dum variè per sola loca summo vitæ discrimine iactātur, vti ne orationi quidem vacuum spatium daretur. Cognito tandem ab Anglicis mercatoribus hoc agi, vt Henrico Regi octauo Pontificiæ tum Sedis acerrimo hosti, pretio traderētur; in Scotiam, ex Hibernia fugere coacti sunt, iussu Pontificis, vt pari illic fide, & integritate Nuncij Apostolici munus obirent, misso etiā diplomate

mate auctoritatis pleno. Verũ corruptis iam insulanorum animis, & insana hæresis opinione occupatis, infecta re Lutetiã repetunt. Hinc pedib. sine viatico, vt nũcios verè Apostolicos diceres, insequentis anni 1542. mense Quinctili Romam properant: cũ ecce tibi Lugduni Segusianorũ, quasi explo ratum venissent, capti in custodiã tra duntur. Post cogniti à Turnonio, & Gaddio Cardinalib. amplissimis, qui tum fortè Lugduni agebant, vinculis liberati, honorificeq́; Romam versus dimissi, & viatico instructi. Nec Romæ cessatum à Salmerone: aures ritè confitentibus dare, de verbo Dei ad populum verba facere, cætera Societatis munia exequi gnauiter. Aprili verò sequentis anni 1543. Mutinã, postulante Ioanne Morono, eius tũ Sedis Episcopo, postea etiam S.R.E. Card. proficiscitur: qua in vrbe deprauatarum de religione opinionũ virus clã, vt solent factiosi homines dissemina rant. Nec dum enim ea tempestate Italia sectariorũ fraudes, dolosq́;, quib. imperitũ vulgus inescare studẽt, cog-

1542.

1543.

ñouerat, vt hoc ſeculo animaduertere eſt, quo rerũ vſu edocti Principes, tanquã ad cõmune animorum incendium extinguendum, accurrere didicerunt Sudatum hic à Salmerone, vt & hæreticorũ occultas refelleret fraudes, & nutantiũ ciuium animos in religione maiorũ confirmaret. Aemuli tamen, dæmonis artibus inſtructi, in tam honeſto Salmeronis labore, non deerant, qui de eius exiſtimatione ſic detrahebant, vt extinctũ velle oſtenderent, quo impunius inter incautos
1544. graſſarentur : Romam itaq; extremo anno quarto, & quadrageſimo, ſui purgandi gratia aduolat: rei omnis geſtæ rationẽ conſtare vult, & innocentiã probat: ita ſilentiũ maledicis facilè indixit, Romæ in Societatis templo aſsidue concionatus ad annum vſque ſextum, & quadrageſimum. Quo vna
1546. cum LAYNE in Synodum Tridentum indictam, vt Pontificius Theologus ſeſe contulit. Hic cõuentu Patrum habito, & deinceps, ob infecti aeris peſtilentiam Tridenti ortam Bononiam tranſlato, ita vterq; qua diſſerendo,

qua

quia sententijs dicendis, operam præclare nauauit, quemadmodum, & in LAYNIS vita ostendimus. Intermissus conuentus est, vacuumque ALPHONSO spatium datum concionibus, cæterisque Societatis officijs obeundis: afflictis enim succurrere, subsidioque esse, vt & Bononiæ antea, semper studuit. Exinde Venetijs LAYNEM comitatus, negocium gelsit, vnaque impetrauit à Senatu Veneto, vt opimum Sacerdotium ad Diuæ Magdalenæ cedere vellet, Collegio Patauino extruendo, ex gratuita Andreæ Lipomanni munificentia Societati adtributum. Secutum est vernum quadraginta dierum ieiunium, anni, opinor, 1549. quo magno homi- 1549.
num concursu, atque frequentia, Belluni, oppidum id ditionis est Venetæ, asiduè concionatus, zizania, quæ finitimarum gentium opera, in agro Domini humani generis hostis, noctu disseminare cœperat, radicitus euellit, magno incolarum bono, quibus & animos acri oratione in

Religio-

Religione maiorum constanter retinenda addidit. Bononiā hinc reuertit, mensibusq́; aliquot cōsumptis, ab Ignatio in Germaniā mittitur, vt Bauarici Collegij fundamenta socijs iaceret: quod Gymnasiū Ingolstadij Gulielmus Bojorū Dux liberaliter, piéq; constituere decreuerat. Salmeron hic sacras docendi literas munere, post Ioannē Eckiū, validum illum Catholicæ Fidei in Germania, vna cum Cochlæo aduersus Lutherianam pestem athletā, suscepto. Diui Pauli epistolas de superiore loco, magna & audientium corona, & admiratione, fructuq́; incredibili, explanauit. Tridentum iternm in Concilium, quod instaurandum Iulius III. mandarat, erat, redijt, hæsitq́; quoad ciuilib. iterum tumultib. interruptum est, Aprili mense, anni 1552.

1552. Igitur Neapolitanū in regnū Prouincialis Præpositus, Ignatij iussu proficiscitur: Humilem hic domum subijt, & qua erat animi demissione cū terra iaciendis fundamentis erueretur, ipse dies aliquot cophino hu-

meris

meris imposito, baiuli in morem laborabat, socijsq; exemplo præibat. Ibidẽ ita perpetuo vixit, vt meritò omnibus ad extremũ vsque diem esset carissimus. Ocuparat tum forte infrequẽtissima illa vrbe nobilissimorum quorundam virorum animos pestilẽs: illud virus damnatarum Lutheri opinionum, clandestinis Sectarij cuiusdam conuenticulis, ac sermonibus. Hic ALPHONSVS, periculi non ignarus ad excellentem doctrinam, qua plurimum valuit zelo etiam domus Dei, religionisq; Catholicæ flagrans, cõciones, lectiones, sermonesque inter ciues ita moderabatur, vt dicendi vehementia concitatos, nutantes, lapsosque erigeret, constantes confirmaret magis. Adhæc ignorãtię errorumque caliginem dissipauit, lucemque reddidit. Rem denique publicam, fidemq; maiorum sartam tectam constituit, quod vnum è multis Salmeronis eximium in Neapolitanum regnum beneficiũ exstitit, meritoque hodie prædicatum, illi, cum à Deo discesseris, acceptum est referendum.

rendum. Tanti enim refert in primo statim ortu errores opprimi, quanti ad valetudinē tuendā venięti morbo succurrere, & nata statim incendia restinguere, priusq domū, ędesq; vicinas flāma depopuletur. Cancer enim
2. Tim. 2. hæreticorum, teste Apostolo, semper serpit. Quod exemplū si in alijs Christiani orbis puincijs secuti Principes, qui & possunt & debent, ad communem flāmam continuo opprimēdam, aduolassent, melius sanè se res Christiana, constantiusq; haberet. Tertio
1553. iam & quinquagesimo supra millesimum, & quingentesimū anno, vernis ieiunijs in æde annunciationis B. Virginis: insequenti verò anno ad diui
1554. Ioannis maioris: post in æde summa summo cōcursu ciuium, nobiliumq; vrbis inclytæ concionatus Alphonsus: in corona etiam religiosorū hominum, qui quotidie confluebant, & à dicentis ore pendentes, quæ dicta præclarè essent, calamo excipiebant. Dominicis verò, festisque diebus assidue de verbo Dei è suggestu summa contentione, dicendique vi ad populum

lum disseruit. Pomeridianis etiam horis sacræ Scripturæ libros explanandos suscepit: idque non tam fucata, & ad pompam comparata eloquendi facultate, quasi hominis diserti, & non perinde pij nomen affectaret, quam vt hæreticorum fraudes detegendo, causam illorum iugularet, labantes attolleret, pios tandem confirmaret. His in administranda prouincia rebus ex animi sententia, reique publicæ, & Ecclesiæ commodo gestis, Romam Pauli IV. Pontif. auctoritate, anno 1556. 1556.
accitus, Cardinali Pisano in Belgium Legati nomine Apostolici proficiscenti comes datus. In quo itinere illud minime celandum, quamuis nonnullis leue visum iri putem. Basileam enim delatis, quæ Heluetiorũ fœderata ciuitas est, sed hæretica pridẽ labe contaminata, dies aliquot morari visum est. Senatus audito Salmeronem Ecclesiastẽ apud suos egregium, doctumque Theologorum, Ministros pestilentis cathedræ cum illo disputare de fidei cõtrouersijs iubet.

Illi, ne quid existimationi decederet, aut sectæ, quam promulgarent, pugnam detrectare non audent. Disputatum vtrinq; acriter: ALPHONSVS eos facilè refellendo argumentis eo cõpulit, vt (quod solemne ijs, q causę diffisi, ne victi discessisse ignominiæ nota videantur, ad clamores, conuitia, cachinnosque confugiunt) probra in eum congererent, neque vt hospitem, sed hostem acciperent, patienter interim ferente ALPHONSO. Cardinalis questum misit, Senatusque fidem, iusq; hospitij appellauit. Iubent mox ALPHONSO læso satisfieri à ministris, veniamque precari. Ecce tibi insolẽs satisfaciendi formula; Factum nollemus: heri contumeliosè te à nobis acceptũ dolemus, verum à nuptijs, conuiuijsque ebrij, disputando incaluimus, nec mẽs satis tum, vti solet, suũ officium fecit. Ad hæc lepidè & vrbane ALPHONSVS: *Vel tacentibus vobis euẽtus verum id esse declarauit: nil aliud ab id genus hominibus noua, & damnata secta exspectandum. Verumenimuero,*

quan-

quantum memoria repeto, nusquam in sacris litteris lectum Euangelicæ veritatis præconibus, quales videri vultis, fas esse temulenter inebriari, & pleno ventre de verbo Dei (vt solemne vobis) in vino, & epulis disserere. Hoc eo consilio libentius retuli, quo vtilius erit iuuenibus pseudoeuangelicorum ingenia, moresque nouisse, & è fructibus æstimare. ALPHONSVS Romam ex lõga peregrinatione vix redierat, cum idem Pontifex vna cum Apostolico Nuncio Aloysio Lipomano, Veronensium Antistite, singulari pietate, & doctrina prædito, meritisque in Ecclesiam collectis sanctorum vitis claro, in Poloniam mittit: quo Sociorum primus ALPHONSVS penetrauit, hodieq; tot Collegia spectantur egregia, vt prouinciæ Societatis formam constituant. Hic ita se gessit, vt redeunti Paulus Pont. officium Apostolicæ sedi ab eo præstitũ, collaudarit. Hinc rursum in belgium allegatur, anno salutis 1557. in ita iam recẽs optata pridem ab omnibus pace cum Philippo Rege Catholico. 1557.

comes

Comes enim dat⁹ honoris gratia Salmeron vna cum Petro Ribadeneyra Carolo Caraffæ, Pauli IV. cognato, quem ad Regem in belgiũ Legatum
1557. misit. Igitur ante diem 15. kalen. 1557. in viam se Galliam belgicam versus dederunt. Hic in regia Bruxellis ALPHONSVS Italice ad Legatum de verbo Dei disserebat. Hinc Ribadeneyra in aula relicto Romã reuertit.
1558. Qua in vrbe in sequenti anno 1558. in Iacobo Layne Præposito generali deligendo pręsens ALPHONSVS comitijs interfuit. Quo sociorum conuentu tandem dimisso, Neapolim & ille redijt, mansitq; ad annum vsque alterũ & sexagesimum: quo Laynem
1562. Pius IV. qui Pauli IV. obitu vacuam B. Petri sedem occuparat in Galliam Celticam, vna cum Hippolyto Estensi Cardinali legato miserat: quo Galliam hæreticorum armis, seditionibusque vexatam, ad fidei cõstantiam retinendam opera, studio, consilioq; reuocarent. Romam itaque accitus ALPHONSVS est, vt vicariam societati, absente Layne, operam præstaret.

ſtaret. Geſſit hoc munus egregiè, dum Tridentum tertium iam ad inſtaurãtam Synodum à ſummo Pont. amandatur. Hic Laynis aſſidu' comes fuit laborum, vigiliarumque, vt in ipſius vita recenſui. Concilio quoq; ad exitum adducto, dimiſſoque Patrũ cœtu Neapolim rurſum redire iuſſus ALPHONSVS eſt, rei gerendæ gratia: quem ſeceſſum amœnũ ac ſalubrem, valetudinis, & publici cõmodi gratia adamauit, habitauitq; perpetuo, niſi ſi quando Romam excurrere cogeretur, dum conuentus ſeniorũ habetur, Præpoſitis deligendis. Etenim anno poſt octauo, qui eſt Chriſti 1565. 1565.
Frãciſcus Borgia ex Duce Gandiæ ſocietatis Ieſu presbyter, Prępoſitus generalis tertius communi ſuffragio renunciatur. Nono verò poſt creatus 1573.
Eucrardus Mercurianus, Eburo. Demum nono altero anno 1581. ſuffectus 1581.
Claudius Aquauiua, qui nunc moderatur Feliciter. Redeo ad Salmeronem, filumque narrationis reduco. Anno 1569. à Pio Quinto euocatus 1569.
Salmeron, verniſq; quadraginta die-

rum

rum Ieiunijs Pontificis Ecclesiastea egit: sed postremum id concionandi munus obijt, quod ętate fessus, studijs laboribusq́ue fractus fatisceret, nec satis firmis iam lateribus, ad concionandi labores esset. Huc accedebat, quod aulam natura fugeret, secessumq́ue amaret, studia quoque in obscura vita à latētibus tractari melius cōperisset. Missione itaque licet ęgrè à Pōtifice impetrata, Neapolitanum in otium reuersus, in Bibliothecam sese abdens, cum veteribus amicis in gratiam redijt: vt qui viua iam voce docere præsentes corporis imbecillitate non posset, scriptis saltem ingenijq́ue monumentis, posteritati etiamnum viuus interesse videretur. Animum itaque ad scribendum appulit, & sacrarū scripturarum libros, (qua lectione ita semper capiebatur, vt reliqua vel fastideret, vel eodem referret omnia) noui potissimū Testamenti volumina illustranda suscepit. Studiorum veò sacrorum hanc semper rationē tenuit, vt orationem sacra lectio, lectionē oratio suaden-

te B. Hieronymo, viciſſim exciperet. Solis enim ortū antelucana diligentia longa precatione anteuertere ſolitus, hinc diurnarum penſum horarum perſoluere, Litaniamq́; ſanctorum recitare, mox rem diuinā quotidie faciens vota perſoluere. Nec dies vllus temere interceſſit, quo nō rebus omnibus, negotijſq́ue vel omiſſis, vel intermiſſis, Liturgiam ageret, ſacris ritè attenteq́ue operatus. Diei mox reliquum pomeridianumq́ue tempus ſtudijs continēter impertiebatur, integra ſemper, & coroborata vſus ad inuictum animum valetudine. Sic horas omnes, dum cœnæ tempus vrgeret, tranſigere. Hic quæ attente lectitaſſet, meditandoq́ue eruiſſet, ea literis mādare ſolitus. Pertinaci hoc labore vigilijſq́; tandem debilitatus, pituita primum tentatus eſt, quæ in ardentem mox febrem, laterumq́ue dolorem vertit, lectuloq́ue ſenem ſenem affixit. Ille mortem animo præſagiēs familiaribus ſuis multis retro diebus: *Velox*, inquit, *eſt depoſitio tabernaculi mei.* Interdum verò vitæ finem

nem vrgere prædixit, sanus adhuc, valensque, priusquã in lethalem morbũ incideret, nula de re aut libẽtius, aut frequentius, quã de morte sermonem serere, & audire solebat, vt hinc facilè Socij diuinarent, mortem iam tum in votis habuisse. Ortum forte pium cũ minoribus natu Patrib' colloquiũ erat. Hic ALPHONSVS vehemẽti oratione: *Laborate,* inquit, *iuuenes dum integra vobis ab ætate sunt vires.* De se verò suspirans, Iob illud intulit: *Ego autem expecto donec veniat immutatio mea.* Venerat eo ipso tempore Neapolim Vidua nobilis, cuius magna exstarent in societatem beneficia: hic è Patribus quidam non ab re fore ait, si illam officij gratia Salmeron validus adhuc inuiseret. At ille renuit: satis sibi in affecta hac ætate negotij esse ad mortem bene se comparare. Libris itaque clausis, rebusque alijs omnibus valere iussis, hoc agebat vnum quasi iam vniuersæ carnis viam ingressurus, Medicis vt solent, animũ blan-

Iob 14.

dis

dis verbis ægroto addentibus, bono vti animo esset, non adeo cito interiturum: constanter ille quod euenit, fore vt viuorum è numero breui eriperetur, affirmabat. Dicente altero: Confide, pater, equidem dabo operam quoad licebit, vti conualescas. Ad hæc ille: *Da potius operam, bene vt moriar, cœlumq; petam: id enim mea permagni refert, quoniam melior est misericordia Domini super vitas.* Psal. 62. Interrogatus à socio sacerdote, vt haberet, hilari vultu respondit: *Oblatum est de præterito præsenti & futuro.* Alio quærente libenterne mortem obiret, dictum illud Episcopi cuiusdam apud Augustinum intulit: *Si aliquando? cur non modo?* His persimilia mentem animi testabantur, quidq; illo fieri velletDeus. Igitur licet ritè cõfessus ægrotãs, sacra diuinę hostię mysteria sumpsisset, iterare tamen sacramenta, totiusq; anteactæ vitæ errata, in tutis sacerdotis auribus deponere voluit. Allato itaque pane Angelorũ viatici nõe: *Expectate*, inquit

venit

venis Deus: cumque virium imbecillitate membris vti non posset, in cubitum tamen nixus, admirãtibus, qui aderant socijs, assurrexit, pieque est epulatus. Socij obnixè rogant vti vita migrans, bene illis dicendo Crucis signo precaretur. recusarat enim, qua erat animi modestia, ad eũ diem, victus tandem precibus sublatisque in cœlum oculis Deum venerans bene precatur socijs. Latine locutus hisce verbis, vt, qui aderant, affirmarũt: *Patres*, inquit, *mei optimi, & fratres in Christo carißimi, semper ego vos dilexi, & nunc maxime diligo; etsi non habuerim intimam cõuersationem cum omnibus vobis; tamen ego semper vos dilexi, & desideraui vos peruenire ad eam vitæ perfectionem, ad quam vocati estis in hac sancta societate Iesu. Ego iam meæ conuersationis, & vitæ rationem redditurus, decreui nouo modo vos alloqui. Propterea quando Deus pro infinita sua bonitate voluit me vocare, decréui vos benedicere noua benedictione. Precor igitur Dominum nostrũ Iesum Christum,*

ſtum, vt dignetur vos protegere, manu tenere, & benedicere: vt poßitis reſpondere huic beneficio veſtræ vocationis, & peruenire in regnum cœlorū. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amē. Gratiam quoq; implorat, quà ratam Dei vocationē habentes, ſalui fiant. Mox ſeſe colligens, & blande, ſuauiterq́; cum Deo colloquens, verſus aliquot è Pſalmis vſurpabat, vt illum: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et, *Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus.* Et id genus cōplura: Crucis ſeſe ſigno frequenter muniebat, aqua item luſtrali aſpergens: nihil vero cruciare, animiq́; tranquillitatem labefactare, ita vixerat, videbatur. Rogante Socio, meminerisne rogare pro Socijs? *Dubitare mihi videris*, inquit: *quaſi vero tā ingratus ſim futurus.* Oleo iam ſacro, cum inungeretur, ſedato animo ad ſingula reſpondit: rogauitq́; *et quando octauus eſſet à B. Agatæ feſto dies*, cras, inquit Socius, tū ille. *Hic vitæ noſtræ terminus eſt.* Nocte quæ

Pſal.16.

Pſal.41.

ſubſecuta eſt, identidem illud balbutiens iterauit: *In vitam æternam*: Et, *Hodie vitæ ærumnis tandem eripiar*. Vſurpabat & illud: *Lætabitur anima mea in Deo meo*. Quid ita hilaris eſſet interrogatus. *Quod* (inquit) *miſericordiæ vias patefacere incœperit Deus*. Sanctorum litanias frequentius recitari iuſſit, quodq́; attentiſsime auſcultauit, de Christi cruciatibus, Euangelium: in quo & repetere quædam loca anagnoſten recitando iuſsit. Cũ vox iam defeciſſet, labia agitare, Cruciſq́; ſignum manu effingere, deficiẽtibus tãdẽ membris, oculos in Chriſti de Cruce pendentis, Deiparæq́; Virginis effigiem defigens acquieuit: quibus tandem oculis fractis, clauſiſq́; placide in Domino obdormiuit, vt ſomno captus videretur, iuxta illud Prophetæ: *In pace in idipſum dormiã, & requieſcã*.
Pſal. 4. Erat is dies Iduũ Februarij anni 1585.
1585. ætatis vero, ſeptuageſimi. De morte vbi increbuit, Neapolitani ciues cõfluxere ad ſpectaculum vniuerſi: Patricij etiam viri, manus oſculabundi,

Archi-

Archiepiſcopus item ſua ſponte, ſolemni ritu, & habitu; omniſque adeo Clerus funus deduxit. Republica deniq; tota proſequente lacrymis exequias, iuſtaq́; vrbs ita perſoluit, vt facile deſiderium indicaret. Facta re diuina, is populi concurſus fuit, vt alijs capillos mortui vellentibus, alijs lacinias veſtis, & vngues, quæ religioſe omnia ſeruarent, præcidentibus, humo mandari nõ potuerit. Sed dimiſſa plebe noctu in communi ſociorum crypta ſub aram maximam conditur in capſa, cui inſcriptum,

PATER ALPHONSVS SALMERON TOLETI IN HISPANIA NATVS VNVS EX PRIMIS DECEM SOCIETATIS IESV, PRIMVS Q. IN REGNO NEAPOLITANO PROVINCIALIS. VIXIT ANNOS LXIX. MENS. V. DIES V. OBIIT IN NEAPOLITANO EIVSDEM SOCIETATIS COLLEGIO. IDIB. FEBRVAR. ANNO A CHRISTO NATO M.D.LXXXV.

Duo dequinquaginta annos, in Italia conſumpſit, concionibus aſſiduis, & con-

& confessionibus, studijs denique, & commẽtatione sacrarum litterarum. Missiones multas suscepit Põtificum auctoritate, pedibus sępenumero iter faciẽs, & summa viatici inopia, in vltimas regiones, rei gerendæ caussa, magnoq; Ecclesiæ cõmodo. His rebus fractus senectam, mortemq; anteuertit, vt iam canesceret totus, dentibus careret. Illud in confesso est, Neapolitanis omnibus flebilẽ eius mortem accidisse, vt de Regno illo, tam benemeriti, quam qui maximè. Per cũctas prope illius regni partes doctrina, sermonibusq; in religione maiorum incolas cõfirmauit: irrepẽtibus clam nouis, & prophanis de fide opinionibus hæreticorum. Pios enim, cõstantesq; in officio, qua hortãdo, qua docendo, retinuit, nutãtes manu erexit, omnibus deniq; salutis viam ostẽdit. Rectam idem cõcionandi viam commonstrauit: frequentem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ vsum, iam pridem obsolescentem tanquam postliminio restituit. Ciuibus afflictis ea perpetuo præstitit officia,

vt plura à parente proficiſci non potuerint. Vitæ ſanctimonia, atque innocentia omnes ceperat, etiam nobiliſſimos, vt animos omniũ moderari facilè poſſet: quibus artibus & Proreges, ſummo illic cum Imperio agẽtes, deuinxerat: verùm Principũ gratia tãtum vtebatur, non ſuo, ſed aliorum emolumento, vel deprecandis miſerorum iniurijs, vel incommodis pauperum depellẽdis. Huc enim potiſſimũ curam, cogitationemq́; conuerterat, indigentibus vti prodeſſet, & odia, ſimultateſq́; penitus aboleret: ratus id quod erat, bene hic operam, vel temporis diſpendio, collocari. Beneficiorum quæ in alios cõtuliſſet facilè obliuiſci; meminiſſe in quem collata eſſent oportere exiſtimabat: Occurrit fortè vir nobilis, gratiaſq́; comiter egit, quod apud Prętorem ſe in gratiam poſuiſſet, quodq́; honore, quem pridem ambijſſet potitus commendatione illius eſſet. Ad hæc Alphonſus: *Bene me de te vnquam meritum fuiſſe non memini, quid enim officij à me præſtari poßit non video. Illud ſi io*

pleraq; à me negligenter, vitioseq; geri. De Societate verò ita meritũ scimus, vt tria, hodieque Neapoli domicilia sociorum spectentur, Professorum, Tironum, & Collegarum in litteris versantium. Corpore fuit compacto, & robusto, valetudinis perpetua vsus prosperitate, vt labores omnes, studiorumque vigilias perferret. Iam inde à puero litteris valdè addictus, vt incredibili discendi flagrans cupiditate, excelso ingenio, disciplinas omnes quas scire doctum æquum est Theologum, perdidicerit, memoriaque sit complexus: poetas nimirum, oratores, historicos omnes pręsertim Ecclesiasticos, Philosophos, Theologos, qui via, & ratione progressi in scholis regnant, sanctorum Patrum scripta, Concilia denique, & Pontificum Decreta, tenaci memoria, qua præditus erat, tenebat. His artibus instructus, Tridentina in Synodo, cui cum Layne interfuisse ostendimus, sententiã, Theologos inter & Episcopos de maximis fidei, controuersisq; dogmatibus rogatus, ita respondit, vt Patri-

Patribus etiam admirationem concitarit. Tres ad hæc eruditas linguas, Latinam, Græcam, & Hebræam, quas Christus suo in cruce sanguine consecratas Ecclesiæ propagandæ destinauit, apprime calluit. In dicẽdo acer fuit, & vehemens, firmisq́; lateribus. Lectione diuinæ Scripturæ mirificè capiebatur, maximamque illi ætatis partem impẽdit: quindecim vitæ postremos annos cõmentationi eius tribuit, scripsitq́; duodecim ingentia in in totum Iesu Christi Testamentum volumina: in decem quoq; priora Genesis capita reliquit commentarios: cætera meditantem mors oppressit. Quæ quidem lucubrationes, nunc tandem lucem aspiciunt, forasq́; datæ in vulgus apparent: pretiumq́; operę legentibus fuerit, difficilium sacræ Scripturæ locorum explanationem, Sanctorum Patrum sensa, atq; decreta hic cognoscere: Hæreticorum itẽ nostri sæculi causam validis argumentis iugulari. Mores doctrinæ persimiles, candor ingenij, facilitasque summa, virtutis item Religionisq́; studiũ in

illo

illo tantum fuit, vt nihil supra, Zelus porro Catholicæ fidei, odiumq; hæreticorum acerrimum. Affinium, agnatorumq;, ne quid caro, & sanguis spiritui officeret, summa obliuio: Paupertatis ad extremum vsq; diem, mirum studium, honorum item summa contemptio. Ambitionem itaque oderat, & adulationem. In susceptis Christi nomine rebus, incredibilem constantiam adhibuit, Rituum, & Ceremoniarum Ecclesiasticarũ diligens inuestigatio obseruatioq;. Duodeuicies vernis quadraginta dierum ieiunijs, egregiè cõcionantis munus, Neapoli potissimum, sustinuit: laboriose quidem & summa vi, & alacritate, pisciculis & oleribus senex victitans, nec ieiunare vnquam intermisit: extremo tamen anno, qui idem vitę finẽ attulit, & laborum: ætate iam ingrauescẽte & corporis imbecillitate oua adhibere coactus est. Non illud prætereibo, sciẽtia minimè, vt solet, inflatum ALPHONSVM, sed summa animi despiciẽtia, de se humiliter sentire, & loqui, sua nihil venditare, aliena &

na & vel minuta laudare ſolitum. Ab indoctioribus percunctando doceri, & ad verum euadere non erubuit. Lectionem Sacram publicè Neapoli pomeridianis horis feſto die habuerat; ſtupentibus qui aderant cunctis. Vir nobilis admirabũdus: *plurane* (inquit) *ſtudio, atq; ingenio conſecutus vnquam Laynes eſt?* Intulit, qua erat modeſtia, Salmeron, & in LAYNEM ſtudio; *Tantum me ille doctrina ſuperat, quantum ego tibi antecellere videor.* De reb. diuinis atq; cœleſtibus præcipuè de vita Chriſti, ac meritis, perlibenter dum vixit, atq; ſuauiter verba facere ſolitus: vt iniecta ſacræ rei mentione in epulis, ſermonẽ, ſui oblitus, quaſi Deum præſentem cernens, produceret. Interrogatus item de locis ſacræ Scripturæ, ea vi in menſa, cibis abſtinens, diſſerebat, ac profligabat, quæ obijci cõtra ſolerẽt quęſtiones, (præſertim ab hæreticis, quos cane peius, & angue oderat) vt coram ſpectare, manuſq; conſerere videretur. Prãſus quoq;, & cenatus ſumma temperãtia, nulla de re libẽtius, quam de Chriſto, eiuſq;

eiusque matre Virgine (cui perpetuo vixit addictissimus) & loqui & audire consueuerat. Hinc & Sabbathis quadragenarij ieiunij in Deiparæ laudem conciones instituit. In Catholicam maiorum fidem zeli nullum afferre maius testimonium possum Situs enim ALPHONSVS, & sepulcro condendus cum esset, vir domi nobilis, his alloquijs Neapoli vsus fertur: *Iure*, inquit, *talem, tantumq; virum lugemus, qui scutum Ecclesiæ, hæreticorumq; malleus exstitit.* Quod verè ab illo dictum sæpenumero cõpertum. Insidias enim illi, eiusq; existimationi non semel Sectarij struxerũt. Venetijs dum maioribus ieiunijs concionatur, in hæreticos quotidie stylum acuens, famosi libelli in Salmeronem iactabantur. Neapoli quoque falsus rumor in vulgus manauit, in Germaniam ad hæreticos transfugisse: quam calumniã vt dilueret, per vrbem publice mulo vectus, spectandum se præbuit. Romæ quoq; vicariã societati operã nauante ALPHONSO, & cũ Pontifice quotidiè, ac Cardinalibus

dinalibus agente, ſparſus eſt Neapoli rumor, hæreticis, quod id optarent, auctoribus, ad Gebennicos tranſiſſe: verum Alcalæ Dux, qui Catholici Regis auctoritate tum præerat, mendacium edicto compeſcuit.

Hæc habui quæ de ALPHONSI Salmeronis vita & obitu perſtringerem, & Iacobi LAYNIS vitæ, qui cũ vixit coniunctiſsime, communiaque multa habuit, adnecterem: vt innocẽtiæ, ſanctioriſq; vitæ, in his primis ædificij Societatis lapidibus, cuius angularis lapis Chriſtus eſt, exemplum nobis alterum, quod legendo ſocij miremur, & inſpiciendo imitemur, ſuppeteret. Quod bene omnibus, feliciterque euenire volo.

OPERVM

OPERVM P. ALPHONSI SALMERONIS, quæ exstant, Salmanticæ, & Coloniæ Agrippinæ edita, Index.

IN EVANGELIA LIBRI XII.

IN B. PAVLVM ET CANONICAS Epistolas Libri IX.

FINIS.

